This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

HARVARD
DIVINITY
SCHOOL
Andover-Harvard
Theological Library



tized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTI

DIONYSII AREOPAGITÆ

OPERA OMNIA QUÆ EXTANT

STUDIO

BALTHASARIS CORDERII

SOCIETATIS JESU DOCT. THEOL.

BRIXIÆ MDCCCLIV.

IMPENSIS FRATRUM VALENTINI

BIBLIOPOL. EDITORUM.

DIVINITY SCHOOL LIBRARY. HARVARD UNIVERSITY

Digitized by Google

TAVIS SPERANZA.

Digitized by Google

603.5
D85
C5
CORDERI

LECTORI BENEVOLENTI

EDITORES BRIXIANI.

Scripta theologica, quæ vulgo veniunt sub nomine Dionysii Areopagitæ, et profecto antiquitati christianæ pertinent, serius, sæculis nempe xv. xvi. et xvii. Florentiæ, Antuerpiæ atque Lutetiæ typis vulgata fuere. Porro eadem edebat Venetiis anno 1757 An. Zatta græce, et interprete Corderio latine. Quæ vèneta editio priores omnes, antuerpiensem ipsam, et parisiensem præcellebat non dumtaxat correctionis causâ, sed insuper quippe quæ variantibus lectionibus ex Bibliothecæ Marcianæ Codice depromptis aucta erat.

Attamen nunc temporis, si ad desiderium studiosorum respicis, perrara sunt et quidem pretii ingentis ea, quæ passim prostant eorumdem Operum exemplaria. Idcirco nobis proposuimus eadem Opera adamussim qualia fidelissimus Corderius latine reddidit, et soler-

Digitized by Google

tissimus typographus venetus excudit, denuo in lucem commodiori forma, et modicissimo pretio proferre. Si rem extra opportunitatem fecerimus, æqui rerum judices videant. Quod si horum sententiâ intelligemus susceptum nostrum non intempestivum fuisse, inde nobis addentur animi, ut sub modestâ hujus voluminis formâ et alia fideliter reproducamus theologica christianæ antiquitatis scripta, quæ hactenus vel propter exemplarium paucitatem, vel propter pretii magnitudinem a plerisque frustra desiderantur.

Digitized by Google

INDEX

CÆLESTIS HIERARCHIÆ.

CAPUT I. *Divinam omnem illustrationem, secundum bonitatem diversimode ad ea quæ providentia reguntur emanantem, manere simplicem: neque hoc solum; verum etiam unificare ea quæ illustrantur* . . . . . Pag. 1

II. *Quod apte res divinæ atque cœlestes dissimilibus etiam signis explicentur* . . . » 4

III. *Quid sit Hierarchia, et quænam ejus utilitas* . . . . . » 12

IV. *Quid Angelorum nomen significet* . . . » 15

V. *Quare omnes essentiæ cœlestes communi nomine Angeli vocentur* . . . . . » 19

VI. *Quænam sit prima cœlestium essentiarum distinctio, quæ media, quæ postrema* . » 21

VII. *De Seraphim, Cherubim, et Thronis, deque prima eorum Hierarchia* . . . . . » 22

VIII. *De Dominationibus, Virtutibus et Potestatibus, et de media earum Hierarchia* . . . » 29

IX. *De Principatibus, Archangelis, et Angelis, deque ultima eorum Hierarchia* . . . » 33

X. *Repetitio et Conclusio Angelici ordinis* . » 37

XI. *Cur omnes cœlestes naturæ communi nomine Virtutes cœlestes appellentur* . . . » 39

XII. *Cur hominum Antistites Angeli vocentur.* » 41

XIII. *Cur a Seraphim purgatus fuisse dicatur Isaias Propheta* . . . . . » 43

Digitized by Google

XIV. *Quid significet traditus Angelorum numerus* . . . . . Pag. 50
XV. *Quæ sint formatæ imagines virtutum Angelicarum* . . . . . » 54

ECCLESIASTICÆ HIERARCHIÆ.

CAPUT I. *Quæ sit Ecclesiasticæ Hierarchiæ traditio, et quis sit ejus scopus* . . . . . » 63
II. *De iis quæ in illuminatione seu Baptismo peraguntur* . . . . . » 70
III. *De iis quæ in Synaxi perficiuntur* . . . » 80
IV. *De iis quæ in Unguento fiunt ac perficiuntur.* » 99
V. *De sacrorum Ordinum consecrationibus* . » 110
VI. *De Ordinibus qui initiantur* . . . . . » 123
VII *De iis quæ fiunt circa defunctos* . . . » 130

DIVINORUM NOMINUM.

CAPUT I. *Quis libri finis, et quæ de Divinis nominibus prodita sint* . . . . . » 145
II. *De copulata distinctaque Theologia, et quæ sit divina unio et distinctio* . . . . . » 155
III. *Quæ sit vis Orationis, et de beato Hierotheo, de Religione, et conscriptione Theologica* » 169
IV. *De Bono, luce, pulchro, amore, extasi, zelo; et quod malum neque ens sit, neque ex entibus, neque in entibus* . . . . . » 174
V. *De Ente, in quo etiam de exemplaribus* . . » 210
VI. *De Vita* . . . . . » 219
VII. *De sapientia, mente, ratione, veritate, fide* » 222
VIII. *De potentia, justitia, salute, redemptione; ubi etiam de inæqualitate* . . . . . » 229

Digitized by Google

IX. *De magno, parvo, eodem, alio, simili, dissimili, statu, motu æqualitate* . . Pag. 236
X. *De omnitenente, antiquo dierum; in quo etiam de ævo seu æternitate et tempore* . . » 242
XI. *De pace, quidque sibi velit ipsum per se esse, quæ sit per se vita, quæ vis ipsa per se, et quæ ita dicuntur* . . . . . » 245
XII. *De Sancto sanctorum, Rege regum, Domino dominantium, Deo deorum* . . . . » 252
XIII. *De Perfecto, et Uno* . . . . . » 254

DE MYSTICA THEOLOGIA.

Caput I. *Quænam sit divina caligo* . . . . . » 261
II. *Quomodo oporteat etiam uniri, ac laudes referre omnium auctori, qui est supra omnia* . . . . . » 264
III. *Quæ sint affirmantes de Deo locutiones, quæ negantes* . . . . . » 265
IV. *Quod nihil rerum sensibilium sit is, qui omnis rei sensilis secundum excellentiam est auctor* . . . . . » 267
V. *Quod nihil rerum intellectilium sit is, qui omnis rei intellectilis secundum excellentiam est auctor* . . . . . » 268

EPISTOLÆ.

I. Cajo Monacho. *De ignoratione et cognitione Dei.* » 271
II. Eidem Cajo Monacho. *Quomodo Deus sit supra principium divinitatis ac bonitatis* . . . » 272
III. Eidem Cajo. *Quid significet* εξαίφνης, *in mysterio Incarnationis* . . . . . » ivi

Digitized by Google

IV. Eidem Cajo. *Quomodo Christus verus homo ac Deus* . . . . . Pag. 273
V. Dorothee Ministro. *De Caligine* . . . . . » 274
VI. Sosipatro Sacerdoti. *De defendenda Veritate* . » 275
VII. Polycarpo Antistiti. *Quomodo ei cum Apollophane agendum sit* . . . . . » 276
VIII. Demophilo Monacho. *De propria operatione et clementia* . . . . . » 280
IX. Tito Episcopo. *Roganti per Epistolam quæ sit domus sapientiæ, quis crater, et quisnam cibus ejus ac potus* . . . . . » 293
X. Joanni Theologo Apostolo et Evangelistæ, *in Patmo insula exulanti* . . . . . » 302

Digitized by Google

DE CÆLESTI HIERARCHIA

CAPUT I.

Sympresbytero Timotheo Dionysius Presbyter.

Divinam omnem illustrationem, secundum bonitatem diversimode ad ea quæ providentia reguntur emanantem, manere simplicem: neque hoc solum; verum etiam unificare ea quæ illustrantur.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Docet, omnem lucem ac gratiam spiritalem a Deo Patre ad nos derivari, et nos cum Deo conjungere. 2. Invocato Christo, proponit cælestes Hierarchias ex Scripturis interpretari: quæ licet multiplicem sensum figuratum admittant, simplicem tamen semper habent sensum litterulem. 3. Ostendit, res cælestes ac spiritales, ad captum nostrum, in Scriptura materialibus figuris describi, et methodum ac rationem suggerit, quomodo ex illis ad cælestes contemplationes assurgere mens nostra possit.

§. 1.
Jac. 1. 17. *Omnis illustratio Scripturæ a Deo, et ad Deum.*

Omne datum bonum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum: quin et omnis a Patre motæ illustrationis emanatio, in nos benefice exundans, denuo ceu unifica vis, ad

Digitized by Google

supera nos revocando simplificat, et convertit ad congregantis Patris unitatem, et ad deificam simplicitatem. Quoniam ex ipso et in ipsum sunt omnia, ut sermo sacer ait.

Rom. 11. 36.

§. 2. Joan. 1. 8. *Per Christum accedendum ad Patrem.*

Quamobrem JESUM invocantes, qui paterna lux est vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, per quem ad originem lucis Patrem accessum obtinuimus, ad sacratissimorum a Patribus traditas Eloquiorum illustrationes pro viribus suspiciamus; necnon ab ipsis symbolice nobis et anagogice patefactas cælestium mentium hierarchias, prout possumus, intueamur; atque principialem et super principialem Patris, qui principium Divinitatis est, illustrationem (quæ nobis Angelorum in figuratis signis beatissimas elucidat hierarchias) immaterialibus et intremulis mentis oculis intromittentes, ex eadem rursus in simplicem ejus radium intendamus: quamquam neque ipsamet unquam intima sua unitate destituitur, sed ad sublimantem et unificantem eorum qui providentia gubernantur contemperationem, dum, uti decet, benigne multiplicatur atque emanat, etiam intus in semetipsa stabiliter manet, immobili identitate unimode firmata, et ad se ut fas est attendentes, pro cujusque capacitate, simplificativa sua unione surrigit, unificatque. Neque enim potest aliter divino-principalis ille radius nobis illucescere, nisi sacrorum varietate operimentorum anagogice obvelatus, nobis quoque paterna providentia connaturaliter ac proprie sit accommodatus.

Ex Scripturis sacris cælestis cognitio.

Sensus Scripturæ multiplex, scopus ejus simplex unio cum Deo.

§. 3. *Cur res spirituales*

Quapropter primitiva illa rituum sacrorum institutio, sanctissimam nostram hierarchiam, supermun-

Digitized by Google

dana cælestium hierarchiarum imitatione dignam censens, prædictas immateriales hierarchias, materialibus figuris et formativis compositionibus variegando transcripsit, ut pro nostra cum illis proportione, a sacratissimis fictionibus ad simplices figurarum expertes anagogas et similitudines evehamur; quandoquidem fieri non possit, ut mens nostra ad immaterialem illam cælestium hierarchiarum imitationem ac contemplationem intendatur, nisi e propinquo, materiali usa fuerit manuductione: cogitando scilicet, apparentes has pulcritudines, arcanorum esse decorum effigies; ac sensiles odorum suavitates, expressas esse figuras spiritalis dispensationis; et immaterialis illustrationis speciem præ se ferre lumina materiata: uti et contemplativæ secundum mentem saturitatis sacras illas diffusas disciplinas; et divinis consonæ atque ordinatæ affectionis, eorum qui hic sunt ordinum gradus: ac JESU participationis, divinissimæ Eucharistiæ communionem: et quæcumque alia cælestibus quidem naturis supermundialiter, nobis vero simbolice tradita sunt. Hujus igitur nobis proportionatæ deificationis ergo, benigna initiatio primitiva, cum cælestes hierarchias nobis exhibendo, tum nostram hierarchiam ad captum nostrum, deiformis illarum sacerdotii assimilatione, coadjutricem earumdem initiando, supercælestes illas mentes sensilibus imaginibus, in sacroscripturisticis eloquiorum compositionibus descripsit, ut nos per sensibilia ad spiritalia adduceret, nec non ex effictis sancte symbolis ad simplices cælestium apices hierarchiarum.

in materialibus adumbratæ.

Quomodo a terrenis ad cælestia mens assurgat.

Cælestia ad captum nostrum in Scripturis expressa.

Digitized by Google

CAPUT II.

Quot apte res divinæ atque cælestes dissimilibus etiam signis explicentur.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Facit operis hujus distributionem. 2. Monet, figuras illas, quibus res cælestes ac spiritales describuntur, rebus ipsis esse dissimiles; et simul objectioni occurrit, ac rationem reddit, cur magis expediebat res istas cælestes rerum ignobiliorum formis delineari, quam nobiliorum. 3. Ostendit duplicem esse sacræ descriptionis modum: unum scilicet, per similes; alterum, per dissimiles figuras: uti etiam de Deo quædam per affirmationes, et quædam per negationes prædicari: et negationes ait affirmationibus præstare, et absonas similitudines ad mentem nostram erigendam esse aptiores. 4. Tradit, ex rebus omnibus aliquid boni colligi posse, et simul explicat, quomodo passiones iræ, concupiscentiæ, et res similes intelligendæ sint, quando Angeli attribuuntur. 5. Ostendit, quomodo etiam ipsemet Deus in Scripturis aliquando a summis, aliquando a mediis, aliquando etiam a rebus infimis denominetur.

§. 1. *Distributio Operis.* Mea utique sententia, primum quidem exponendum, quem omnis hierarchiæ scopum esse censeamus, quidque suis quælibet divinis contemplatoribus prosit: deinde vero cælestes Hierarchiæ celebrandæ, secundum earumdem mysticam in Oraculis explanationem: postea denique dicendum, quibus formis sacris cælestes istos ordines eloquiorum sacræ delineent descriptiones, nec non ad qualem adduci deceat per formas istas simplicitatem, ne et nos, more vulgi,

Digitized by Google

sacrilege opinemur, cælestes illas ac deiformes intelligentias, multipedes quasdam esse ac multiformes, nec non ad boum pecuinam, ferinamve leonum naturam efformatas, et ad aquilarum curvi rostri speciem, vel ad volucrum hirsutam plumescentiam effictas, rotasque aliquas ignitas supra cælum imaginemur, ac sedes materiatas, Deo deorum ad discumbendum accommodatas, et quosdam equos multicolores, hastatosque duces exercitus, et quæcumque alia nobis ab eloquiis fictione quadam sacra, explanatoriorum varietate signorum sunt transcripta. Enimvero palam Theologia Posticis sancte fictionibus, in carentibus figura mentibus usa est, ad nostrum, uti dictum est, intellectum attendendo, nec non propriam ipsi et connaturalem ad superna transitum providendo, et ad eumdem accommodate sacras Scripturas anagogicas effigiando.

Ezech. 1. 7.

Dan. 7. 9.

Zach. 1. 8. 2. Mach. 3. 25. Josue 5. 13.

Quod si cui videantur sacræ quidem approbandæ compositiones, quod res simplices seipsis ignotæ, nobis et invisibiles existant; dissimiles profecto esse sciat sanctarum mentium in eloquiis delineationes, nec non omnem hanc rudem quamdam esse, ut ita dicam, nominum Angelicorum inumbrationem. Sunt et qui dicunt, Theologos oportere, dum ad omnino incorporearum rerum corporationem veniunt, propriis illas, et quoad fieri potest, cognatis efformare atque explicare speciebus earum quæ apud nos sunt præstantissimarum, et ex parte immaterialium ac transcendentium substantiarum; et nequaquam cælestibus ac deiformibus simplicitatibus, terrenas illas infimas circumdare multiformitates. Siquidem id no-

§. 2.

Figuræ quibus res spirituales describuntur, sunt ipsis dissimiles.

Occurrit objectioni eorum qui censent, nobiliores figuras fingi debuisse.

Digitized by Google

stræ magis etiam conduxisset sublimationi, neque supermundiales explanationes ad incongruas dissimilitudines coegisset: hoc autem et divinas nefande virtutes elevat, atque nostrum pariter errare facit intellectum, dum immundis istis inhæret compositionibus; et fortassis etiam putabit, supercælestia leoninis quibusdam et equinis examinibus referta esse, nec non mugitu reboantibus laudum canticis, et avicularium gregum præfecturis, aliisque animalibus ac vilioribus materiis. quas ad absurditatem et spurcitiam, ac passionem provocando, per omnia dissimiles ejuscemodi elucidantium eloquiorum similitudines describunt. Veritatis tamen, uti reor, indagatio demonstrat, sacratissimam eloquiorum sapientiam, in cælestium effictionibus intelligentiarum, utrumque luculenter providisse, ut neque virtutes divinæ (ut ita quis dixerit) contumeliosius extenuarentur; neque nos humi repentibus imaginum vilitatibus tenacius affigeremur. Cæterum, cur merito figura carentibus figuræ, et effigies ineffigiatis rebus obductæ fuerint, non solum causam dixerit, quis esse nostram imbecillitatem, quæ nequit immediate spiritalibus intendere contemplationibus, indigetque propriis ac connaturalibus, quibus erigatur, adminiculis seu anagogiis, quæ perceptas a nobis effigies ineffigiatis ac supernaturalibus spectaculis prætendant; sed quod hoc mysticis etiam Oraculis vel maxime conveniat, ut ineffabilibus et sacris ænigmatibus recondant, et inaccessam vulgo constituant sacram illam et arcanam supermundanarum mentium veritatem. Quilibet enim non est sanctus, neque omnium, ut Oracula

Cur Scriptura rebus etiam vilibus, res cœlestes repræsentet.

Digitized by Google

testantur, scientia est. Porro si quis absonas effigiationes improbarit, putandum asserens, tam turpia deiformibus sanctissimisque adornationibus affingere simulacra, satis sit illi reposuisse, duplicem esse sacræ illius mysticæ manifestationis modum. 1. Cor. 8.

§. 3. *Duplex modus sacræ descriptionis*

Unum quidem, qui, ut par est, per similes sacrarum figurarum imagines procedit; alterum vero, qui per dissimiles efformationes ad omnimodam dissimilitudinem et discrepantiam effingitur. Denique venerandam superessentialis Deitatis beatitudinem, elucidantium eloquiorum mysticæ traditiones aliquando quidem ut Verbum et mentem, et substantiam laudant, convenientem Deo rationalitatem atque sapientiam ejus declarantes; nec non essentialiter essentem existentiam, et rerum existentiæ causam veram, atque instar lucis ipsam effingunt, et vitam appellant: cujusmodi figmenta sacra; cum quidem magis congrua sint, materialibusque figuris antecellere quodammodo videantur, attamen vel ut sic etiam a divinæ similitudinis veritate deficiunt; siquidem excedit omnem essentiam et vitam, neque ipsam ulla lux exprimit, omnisque ratio ac vita ab ejus similitudine incomparabiliter desciscit. Nonnumquam vero dissimilibus elucidationibus ab iisdem eloquiis supermundialiter celebratur, dum illam invisibilem, et infinitam et incomprehensibilem appellant, et ex quibus non quid est, sed quid non est significatur. Atque hoc, ut arbitror, magis ipsi proprium est: nam, uti arcana illa sacerdotalisque traditio insinuavit, vere dicimus, eam non esse secundum quidquam eorum quæ sunt, licet ejus superessentialem et in- Joan. 1. 1. Ps. 135. *Quænam affirmentur de Deo.* *Quæ negative prædicentur in Deo.* 1. Tim. 6. 16. Ps. 144. 13. Rom. 11. 33.

Digitized by Google

Negationes de Deo verius prædicari.

visibilem et ineffabilem infinitatem ignoremus. Cum ergo negationes in divinis veræ, affirmationes vero incongruæ sint, arcanorum obscuritati magis propria est rerum invisibilium per dissimiles effictiones explanatio: siquidem condecorant, non dedecorant, cælestes adornationes sacræ hujuscemodi eloquiorum descriptiones, dum dissimilibus eas formarum fictionibus explanant; his ipsis declarantes, ut rebus omnibus materialibus supermundialiter antecellant.

Absonas similitudines magis mentem elevare.

Quod vero absonæ similitudines magis mentem nostram erigant, nemo, ut opinor, cordatus contradicet: in nobilioribus enim formis effingendis credibile est errare aliquos, qui existiment esse naturas cælestes specie quadam aurea, viros quosdam micantes, fulgore decoros, vestitu splendido amictos, igneum quiddam innoxie vibrantes, et quæcunque aliæ ejusmodi formæ sunt, quibus Theologia cælestes mentes figuravit. Quod quidem ne iis eveniat, qui nihil altius, quam illa pulcra et speciosa quæ apparent, mente complexi sunt, sanctorum Theologorum sapientia, quæ sursum ducendi vim habet, ad dissimilitudines absonas sancte se dejicit, non permittens id, quod in nobis materiale est, illis indecoris imaginibus inhærendo acquiescere; sed ipsa deformitate figurarum excitans et stimulans superiorem animæ portionem, tamquam nefas sit, et ne iis quidem, qui rebus terrenis valde affixi sunt, verisimile videatur, tam absurdis formis similia revera esse illa supracælestia et divina, quæ in symbolis cum admiratione spectantur. Quin et hoc sciendum, nihil eorum quæ existunt penitus esse boni participa-

Nihil est exsors bonitatis.

Digitized by Google

tione privatum; cum, ut ait Veritas, omnia bona valde. Gen. 1. 31.

§. 4. *Ex omnibus aliquid boni colligendum.*

Est igitur ex omnibus capere bonas contemplationes; quia et viris intelligentibus ac spiritalibus licet jam dictas dissimilitudines ex rebus materialibus efformare; cum res spiritales alio ipsas modo habeant, quam rebus sensibilibus attributæ sint. Siquidem affectus iræ creaturis irrationalibus ex impetu passionis ingeneratur, atque omni irrationalitate plenus est irascibilis eorum motus: sed in rebus spiritalibus aliter oportet vim irascibilem considerare, ut videlicet significet masculam earum rationem, immutabilemque statum, in deiformibus istis immobilibusque sedibus firmatum. Similiter concupiscentiam in brutis esse dicimus inconsideratam, et ad aliquid materiale rerum mutabilium, ex insita propensione, vel consuetudine impotenter ingenitam affectionem, et irrationalem corporis appetitus prædominationem, qui totum animal impellit ad id quod sensu concupiscibile existit. Quando itaque dissimiles similitudines rebus spiritalibus attribuentes, concupiscentiam ipsis affingemus; divinus amor intelligendus, qui intellectu rationeque superiorem amet immaterialitatem, stabileque sit ac constans desiderium superessentialiter puræ ac impassibilis contemplationis et communionis veræ sempiternæ ac spiritalis, sublimissimæ purissimæque claritatis, et infallibilis pulcrificæque venustatis. Et impotentiam accipiamus infractam animi contentionem, quæ a nemine valeat conquassari, propter impermixtum et immutabilem divinæ pulcritudinis amorem, atque

Passiones quomodo in Angelis intelligendæ.

Quid ira.

Quid concupiscentia.

Quid impotentia.

Digitized by Google

totalem in id quod vere appetendum est, propensionem. Quin et ipsammet irrationalitatem et insensibilitatem in brutis quidem animantibus, vel materiis inanimatis, rationis ac sensus proprie privationem nuncupamus; in immaterialibus vere ac spiritalibus naturis, eminentiam ipsarum (utpote supermundialium) sermonem nostrum transeuntem, ac corporalem et materialem, ab incorporearum istarum mentium sensu alienum, sacro prorsus modo transcendere profitemur. Licet itaque non incongruas rebus cælestibus, etiam ex vilissimis materiæ partibus formas effingere; cum et ipsa, etiam ab eo qui vere pulcher est existens, per omnem sui materialem dispositionem vestigia quædam intellectualis habeat venustatis; fierique possit, ut per ea ad immateriales formas primitivas adducamur, dissimiliter, ut dictum est, similitudines accipiendo, et easdem non eodem modo, sed congrue ac proprie spiritales ac sensibiles proprietates distinguendo.

Quid irrationalitas.

§. 5. *Deum a summis mediis, et infimis rebus in Scriptura denominari.*

Hæc mysticos Theologos non solis cælestium dispositionum explanationibus, verum etiam ipsismet Deiprincipalibus elucidationibus rite accommodasse reperiemus. Et aliquando quidem Divinitatem ipsam a luminibus speciosis concelebrant, quasi solem justitiæ, quasi stellam matutinam menti sacratius oborientem, quasi lucem aperte et intelligibiter radiantem: quandoque vero a rebus mediis, quasi ignem innoxie micantem, quasi aquam vitalis plenitudinis collatricem, et symbolice loquendo, ventrem subintrantem, fluminaque perpetim fluentia scaturientem: nonnunquam etiam ab infimis, quasi fragrans un-

Malach. 4. 2. Apoc. 22. 16. Exod. 3. 2. Joan. 7. 38.

Digitized by Google

guentum, quasi lapidem angularem. Quin etiam feCant. 1. 2.
rina eam forma circumdant, et leonis ac pantheræ Eph. 2. 20.
proprietatem accommodant, et pardum fore ajunt Osee. 13. 7.
ursumque orbam catulis ferocientem. Addam etiam quod abjectissimum omnium absurdissimorumque videtur: nam et vermis speciem ipsam sibi affinxisse, Ps. 21. 7.
divinorum periti tradiderunt. Sic omnes divina sapientes, et occultæ inspirationis interpretes, a rebus imperfectis profanisque sancta sanctorum intemerate secernunt, nec non dissimilem illam sacram deprædicant effictionem, ut nec immundis divina sint obvia, neque studiosi divinarum figurarum contemplatores formis istis tamquam veris immorentur: et ut res divinæ cum verissimis negationibus, tum diversis a rebus infimis propriorum vestigiorum similitudinibus celebrentur. Nequaquam igitur absurdum, si naturas illas cælestes, ob dictas causas, discrepantium dissimilitudinum similitudinibus efforment: nam neque nos fortassis ad indagandum dubitando, ad anagogem (quæ ad cælestia nos ducit) per accuratam rerum sacrarum perscrutationem venissemus, nisi nos deformitas explanatoriæ fictionis Angelorum perculisset; quæ minime sinebat mentem nostram absonis istis efformationibus immorari, sed eam excitabat ad omnes materiales affectiones deserendas, et assuefaciebat sancte ex iis quæ apparent, ad supermundiales anagogias seu ascensus aspirare. Hæc a nobis dicta sint propter materiales illas ac dissimiles, quæ in sacris eloquiis habentur, Angelorum delineationes: deinceps vero definiendum, quid ipsammet Hierarchiam esse arbitremur, quidque con-

Digitized by Google

sortes ejus ex ipsa capiant emolumenti. Sit autem dux verbi Christus (si mihi fas sit dicere) meus, qui universam illam Hierarchicam inspiret elucidationem. Tu vero, fili, juxta sanctam Hierarchicæ nostræ traditionis sanctionem, prout sancta decet, audi quæ sacrosancte proferuntur, ipsemet divinus divina doctrina factus, atque animi secreto sancta recondens, tamquam uniformia, a profana multitudine conserva; neque enim fas est, ut eloquia testantur, porcis projicere spiritalium margaritarum purum illum, ac lucidum pulchrificumque adornatum.

CAPUT III.

Quid sit Hierarchia, et quænam ejus utilitas.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Definit Hierarchiam, eamque trifariam dividit. 2. Exponit quis sit finis sive scopus Hierarchiæ, et qualis in ea sit subordinatio: et simul ostendit, perfectionem ejus consistere in Dei imitatione; ejusque functiones esse, expiare, illuminare, perficere. 3. Explicat, quid incumbat tam iis qui expiantur, illuminantur, perficiuntur, quam illis qui expiant, illuminant, atque perficiunt.

Est Hierarchia, meo quidem judicio, sacer ordo, et scientia, et actio quæ ad deiformitatem, quantum fas est, accedit, atque insitis sibi divinitus illustrationibus proportione quadam ad Dei subvehitur imitationem. Porro ea quæ Deum decet, pulchritudo, ut simplex, ut bona, ut origo perfectionis, nulli omnino est admixta dissimilitudini, sed pro cujusque

Digitized by Google

merito cuilibet lumen suum impertitur, et in Sacramento divinissimo, ad immutabilitatis suæ speciem transformando, consummat.

Scopus igitur Hierarchiæ est, Dei, quanta fieri potest, assimilatio conjunctioque; quem cum habeat omnis sacræ et scientiæ et operationis ducem, ad divinissimum ejus decorem constanter intuendo, eumdem quoad potest exprimit, nec non divinos sui consortes sacra quædam perficit simulacra, speculaque clarissima et immaculata, quæ primitivæ lucis summæque Deitatis radium excipiant: cujus indito splendore sacro plena, denuo eumdem ex divinis legibus, in ea quæ sequuntur, sine invidia transfundant. Neque enim fas est sacris professoribus, vel initiatis, quidquam prorsus operari, quod sacri sui Ordinis sacrosanctis constitutionibus repugnet; imo nec iisdem dissentire, si divinam ejus appetant claritatem, et ad illam sancte, uti decet, aspiciant, ac pro cujusque sacrarum mentium capacitate transformentur. Itaque qui Hierarchiam nominat, quamdam omnino sacram designat dispositionem, Dei principalis pulcritudinis imaginem, ordinibus scientilisque sacro principalibus, illustrationis suæ mysteria celebrantem, atque proprio, quantum fas est, principio conformem. Etenim cujuslibet eorum qui sacrum Ordinem sortiti sunt, in hoc sita perfectio est, ut ad divinam, pro capte quisque suo, promoveatur imitationem, quodque divinius est omnium, ipsius etiam Dei (ut eloquia loquuntur) cooperator existat, divinamque in semetipso demonstret operationem, quoad potest, elucentem: quippe cum in hoc sit sacræ gubernationis

§. 2. *Hierarchiæ scopus qui.*

Matt. 5.

Subordinatio servanda.

Perfectio Hierarchæ consistit in Dei imitatione et cooperationes.

Digitized by Google

Functiones ejus sunt, expiare, illuminare, perficere. Quomodo hæc Deo competant.

ordo, ut aliqui purgentur, alii purgent; aliqui illuminentur, alii illuminent; quidam perficiantur, nonnulli vero perficiant; modo cuique suo divina congruet imitatio. Divina siquidem beatitudo (ut more hominum loquar) expers est omnis dissimilitudinis, ac plena lucis sempiternæ, perfecta, nullius indiga perfectionis, mundans, illuminans, consummans; quin imo potius ipsamet sacra mundatio, et illuminatio, et consummatio, supra mundationem, supra lucem, præperfecta, per se origo perfectionis, atque omnis quidem sacri Ordinis causa, verumtamen ab omni re sacra per excellentiam excepta.

§. 3.

Quid competat iis qui expiantur, illuminantur, perficiuntur.

Oportet igitur; ut arbitror, eos qui purgantur, puros effici omnino, atque omni dissimilitudinis commixtione liberari; eos vero qui illuminantur divino lumine repleri, ad contemplativum statum ac virtutem castissimis mentis oculis evehendos; denique eos qui perficiuntur, ab imperfectione translatos, illorum quæ contuiti sunt, sacrorum perfectivæ scientiæ participes existere. Expiatores porro decet præstantia mundationis alios participes reddere propriæ puritatis; illuminatores autem, ut qui sunt mentes perspicaciores cum ad percipiendum tum ad transfundendum rite lumen idoneos, nec non luculenter sacro fulgore plenos, exundantem undique lucem in ea dignos derivare; denique perfectores, ceu perficientis disciplinæ peritissimos, perficere illos qui perficiendi sunt, sacratissima doctrina scientiæ rerum sacrarum quas inspexerunt. Quilibet igitur Hierarchicæ distinctionis ordo, pro modulo quisque suo ad divinam adducitur cooperationem, ea per Dei gra-

Quæ sint partes expiantium.

Digitized by Google

tiam virtutemque; perficiens, quæ summæ Deitati naturaliter, supraque naturam insunt, et ab eadem superessentialiter acta, nec non ad possibilem Dei amicarum mentium imitationem hierarchice sunt declarata.

CAPUT IV.

Quid Angelorum nomen significet.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Docet, Deum sua bonitate se creaturis suis communicasse, et creaturas omnes Dei participes existere. 2. Angelos tamen cæteris excellentius Deum participare, et simul exponit, unde Angeli nomen acceperint, et quomodo per eos divina nobis revelentur. 3. Declarat, Deum, ut in se est, nulli unquam apparuisse, sed tantum sub creata similitudine, quæ θεοφάνεια dicebatur: et simul docet, quomodo inferiores per superiores ad Deum adducantur, et quælibet Hierarchia primos, medios et extremos ordines habeat. 4. Ostendit mysterium Incarnationis ab Angelis primum annuntiatum, et ipsimet Christo in hac vita degenti multa per Angelos revelata fuisse.

§. 1.

Cum ipsamet Hierarchia quid sit, a nobis recte, ut opinor, definita sit; jam Angelica Hierarchia superest celebranda: cujus etiam sacræ in eloquiis efformationes, supermundanis oculis contuendæ, ut ad quammaxime Deiformem earum simplicitatem per mysticas effictiones subvehamur; nec non omnis Hierarchicæ scientiæ principium, ea qua Deum decet veneratione, ac sacrosanctis gratiarum actionibus celebremus. Primum omnium id dictu verum, supe-

Digitized by Google

Deus per bonitatem se communicat creaturis.

ressentialem Deitatem per bonitatem cunctas rerum essentias subsistere faciendo, in lucem produxisse: est enim hoc omnium causæ supremæque bonitati proprium, ut ad sui communionem res vocet, prout cujusque captus modusque postulat. Quare res omnes participant providentiam, a Deitate superessentiali omniumque causa promanantem: neque enim essent, nisi rerum essentiæ principiique participes existerent.

Quomodo creaturæ quælibet Deum participant.

Cuncta igitur inanimata, hoc ipso quod sunt, ipsam participant: nam esse omnium, est ea quæ illud esse superat Divinitas verum res vivéntes, ejusdem supra omnem vitam vivificæ virtutis sunt consortes; at quæ ratione spirituque pollent, super ejus omnem rationem et intelligentiam per se perfectæ ac præperfectæ sapientiæ compotes existunt. Liquet igitur, naturas istas esse proximas Divinitati, quæ multipliciter illam participarunt.

§. 2.

Quapropter sanctæ cælestium essentiarum dispositiones, rebus iis quæ solummodo existunt, et sine usu rationis vivunt, humanave utuntur ratione, divini principatus munere ac participatione antecellunt. Cum enim se ad imitandum Deum intellectualiter componant, atque Deiprincipalem similitudinem supermundialiter contemplantes, ad eamdem speciem suam cupiant efformare; jure merito uberiore gaudent ejus participatione, quod sint assiduæ, ac semper ad anteriora, quantum fas est, divini numquam fatiscentis amoris contentione extendantur, et primordiales illustrationes immaterialiter liquidoque suscipiant, atque ad eas componantur, vitamque omnem habeant spiritalem. Hæ igitur sunt, quæ pri-

Angeli maxime Deum participant.

Digitized by Google

mario et multipliciter Deum participant, et imprimis ac multis modis arcanum Dei manifestant: quamobrem præ cæteris omnibus per excellentiam Angelicum cognomen meruerunt, quia ipsæ primum a Deo illuminantur, et per ipsas nobis nostræ revelationes transmittuntur. Sic igitur lex, ut divinus Sermo testatur, per Angelos nobis data est: et illos celebres ante legem, et post legem patres nostros, Angeli ad Deum adducebant, aut quod agendum erat exponentes, et ab errore et vita profana ad rectam viam veritatis traducentes; aut manifestantes sacros ordines, aut mysteriorum, quæ supra mundum sunt, abditas visiones, aut divinas quasdam prædictiones, tanquam nuntii et ministri explanantes.

Angeli unde id nomen habeant.

Gal. 3. 19. Act. 7. 53.

Divina per Angelos revelari.

Matt. 2. 13. Act. 11. 13. Dan. 7. 10. Isa. 10. 8. 3. 1. Joan. 4. 12. Gen. 3. 8. Gen. 18. 1.

Si quis vero dicat, quibusdam Sanctis immediate Deum ex se apparuisse, discat etiam hoc aperte ex Scripturis sacris, ipsum illud, quod Dei est occultum, neminem vidisse, neque visurum esse, sed apparuisse sanctis Deum, ostendentem se, ut eum decebat, per visa quædam sacra, et iis, qui ea videbant, congruentia. Sermo autem divinus, omni plenus sapientia, visum illud quod divinam similitudinem in illo ipso viso figuratam, tamquam in figura eorum quæ figurari nequeunt, ostendebat, ab intuentium ad Deum adductione, jure merito Theophaniam seu Dei apparitionem vocat; utpote quæ divinam illuminationem videntibus immittat, et aliquid de divinis eos sacre doceat. His divinis visis præclari illi Patres nostri ministerio Angelorum initiabantur. An non etiam sacram illam legislationem, ab ipso Deo fuisse Moysi traditam, divina scripta tradiderunt?

Theophania quid.

Num. 9. Actor. 7. Galat. 3.

Digitized by Google

ut vere nos docerent, divinæ eam esse ac legis sacrosanctæ delineationem. Quin imo sapienter etiam Theologia docet, eam per Angelos ad nos dimanasse, quasi id ordo divinæ legis sanxerit, ut per superiora, ista quæ inferiora sunt, ad divinum Numen adducantur. Etenim non solum superioribus inferioribusque mentibus, verum etiam æqualibus, seu coordinatis, a supersubstantiali rerum omnium primordiali ordine lex ista constituta est, ut per singulas Hierarchias primi essent, ac medii novissimique ordines ac virtutes, inferioribusque diviniores mystæ essent, ac manuductores ad divinum accessum, et illustrationem atque communionem.

Inferiores per superiores adducendi ad Deum.

Hierarchia habet ordines primos, medios, et extremos.

§. 4. *Mysterium Christi nobis per Angelos nuntiatum* Luc. 1. 13.

Divinum etiam humanitatis JESU mysterium Angelis primum patefactum esse video, per quos deinde ad nos quoque cognitionis ejus gratia pervenit. Ita divinissimus ille Gabriel Zachariam quidem Pontificem docuit, quod puer ex ipso præter spem divina gratia nasciturus, Propheta foret humanæ divinæque JESU dispensationis benigne simul ac salubriter mundo apparituræ: Mariam vero erudivit, quomodo in ipsa divinum illud ineffabilis Deiformationis mysterium consumaretur. Alius quoque Angelus Josephum docuit, vere adimpleta esse, quæ progenitori ejus David divinitus promissa fuerant. Alius item pastoribus, quippe jam solitudinis recessu ac tranquillitate purgatis, evangelizavit; cumque illo cælestis exercitus multitudo, celeberrimum istum collaudationis hymnum terrigenis tradidit. Quinimo ad sublimissimas illas eloquiorum illustrationes mentis obtutum erigamus: animadverto enim, ipsummet Jesum

Ibidem.

Digitized by Google

(qui est naturarum supracælestium supra naturam auctor) ubi ad naturam nostram sine sui immutatione descendit, eum quem ordinaverat elegeratque humanitatis ordinem nequaquam refugere, quin potius obedienter se submittere formis a Deo Patre per Angelos effectis; quorum ministerio, a Patre disposita filii in Ægyptum recessio; necnon ejusdem ex Ægypto in Judæam reductio, Josepho nuntiabatur. Quin et per Angelos ipsum cernimus paternis legibus subjectum: omitto enim dicere, utpote scienti, quæ sacrosanctis nostris traditionibus espressa sunt de Angelo quoque Jesum confirmante; et ut ipsemet JESUS, pro salutari nostra emendatione, in spirituum manifestatoriorum ordinem redactus, magni consilii Angelus fuerit appellatus: etenim, ut ipse pro nuntii munere dicit, quæcumque audivit a Patre, nota fecit nobis.

Christo etiam multa per Angelos nuntiata. Matth. 2.

Luc. 22. *Christus magni consilii Angelus.* Isa. 9.

CAPUT V.

Quare omnes essentiæ cælestes communi nomine Angeli vocentur.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet, nomen Angeli, quamvis proprie ultimo ordini cœlestium spirituum conveniat, superioribus tamen ordinibus non incongrue attribui; cum et ipsi inferiorum virtutes obtineant, et eorumdem obire possint functiones, atque adeo inde etiam nominari possint: inferioribus vero uti virtutes, sic nec nomina superiorum convenire.

Hæc quidem est, quantum capimus, Angelicæ in eloquiis appellationis causa; scrutandum modo censeo, cur Theologi, omnes pariter essentias cælestes

Digitized by Google

Psal. 102. et Matth. 25. Angelos appellent; ubi autem ad explanationem ventum fuerit supermundialium ipsarum ordinationum, ordinem Angelicum proprie vocent eum, qui divinos cælestesque ordines explendo claudat: isti vero Archangelicas anteponant dispositiones, et Principatus, ac Potestates, Virtutesque, et quascumque hisce celsiores spiritus agnoscunt eloquiorum explanatoriæ traditiones. Asserimus igitur, secundum omnem sacram dispositionem, superiores quoque ordines, inferiorum quoque agminum illuminationibus virtutibusque pollere, postremos vero non item superiorum suorum consortes esse. Itaque sanctissima illa supremorum agmina spirituum, Angelos quoque Theologi appellant, quod et ipsa divinam manifestent illustrationem. Porro cælestium intelligentiarum ordinem novissimum, vel Principatuum, vel Thronorum, vel Seraphinorum nomine compellandi ratio nulla suppetebat: neque enim præstantissimarum virtutum illarum particeps existit, sed sicut ipse divinos nostros Sacerdotum Principes adducit ad præstitutas sibi Divinitatis collustrationes; ita etiam illæ, quæ hos spiritus præcedunt sacratissimæ virtutes, ad Divinum Numen surrigunt distinctionem illam, quæ Angelicas adimplet Hierarchias. Nisi forte quis communes esse velit Angelicas omnes appellationes, juxta cælestium virtutum omnium in Deiformitate, Deique vel remissiori vel eminentiori lumine communicationem. Verum quo distinctior nobis procedat oratio, sacrosanctas cujusque cælestis ordinis proprietates, quæ nobis in eloquiis elucidatæ sunt, pura mente contemplemur.

Superiores Angeli possunt obire functiones inferiorum, non contra.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Quænam sit prima cælestium essentiarum distinctio, quæ media, quæ postrema.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Docet, solum Deum exacte nosse quæ ad omnes ordines Angelorum spectant. 2. Tradit, novem ordines Angelorum in tres Hierarchias esse distributos.

§. 1. *Deus solus eminenter et exacte novit quæ ad omnes Angelorum ordines spectant.*

Quantæ quidem sint, et quales supercælestium essentiarum dispositiones, et quo pacto earumdem sacri ordines initientur, solum exacte nosse censeo divinum illum, a quo consecrantur, principatum; præterquam quod et ipsis virtutes atque illustrationes propriæ sint perspectæ una cum sacra sua supermundialique ordinatione: neque enim intelligere valemus supercælestium istarum mentium mysteria, et sanctissimas illarum perfectiones, nisi illa forte nos scire quis asserat, quæ illorum, sua scilicet rite callentium, ministerio Divinitas ipsa nos docuit. Itaque nos quidem nihil motù proprio dicemus, sed quæ Angelica spectacula sanctis Theologis visa fuerint, edocti, pro viribus exponemus.

§. 2. *Novem ordines Angelorum in tres Hierarchias distribuit.*

Substantias cælestes omnes Theologia novem explanatoriis nominibus appellavit: has divinus noster initiator, in tres ternarias distinxit distributiones. Ac primam quidem ait esse illam, quæ circà Deum assiduò versatur, illique jugiter inhærere, ac præ cæteris immediatius uniri traditur: sanctissimos enim Thronos, et pluribus oculis aliisque præditos ordines, Isa. 6. Ezech. 1.

Digitized by Google

Cherubim Hebraico vocabulo et Seraphim appellatos, immediate juxta Deum ante alios eminenti propinquitate locatos esse, sacrorum asserit eloquiorum explanatione comprobari. Hanc igitur ternariam distributionem, ut unam æqualemque ac primam revera Hierarchiam, inclytus præceptor noster memoravit, qua non est altera Deiformior, primoribusve Divinitatis illustrationibus immediata conjunctione propinquior. Secundam vero designat illam, quæ Potestatibus, Dominationibus, Virtutibusque completur. Tertiam denique, eamque cælestium Hierarchiarum ultimam, esse dicit Angelorum et Archangelorum, atque Principatuum distributionem.

CAPUT VII.

De Seraphim, Cherubim, et Thronis, deque prima eorum Hierarchia.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Docet quid Cherubim, Seraphim et Throni significent. 2. Quanta sit primæ Hierarchiæ dignitas, contemplandi vis atque perfectio. 3. Quomodo inferiores a superioribus, et supremi ab ipsomet Deo initientur, et quanta reverentia suas quisque illustrationes excipiat. 4. Quid supremi illi spiritus agant.

§. 1. Hunc sanctarum Hierarchiarum ordinem approbantes, omnem cælestium intelligentiarum appellationem, Deiformis cuilibet earum insitæ, proprietatis declarationem continere profitemur. Ac sanctam quidem Seraphim appellationem, Hebraicè periti ajunt

Digitized by Google

vel Incensores interpretari vel Calefacientes; Cherubim vero, Copiam cognitionis, sive Sapientiæ diffusionem. Merito igitur prima illa cælestium Hierarchiarum a sublimissimis naturis administratur, cum hoc cæteris ordinem nacta sit sublimiorem, quo in eam, immediate Deo assistentem, primæve Dei apparitiones et initiationes, tanquam in proximam, principalius derivantur. Calefacientes igitur nominantur et Throni; Diffusioque sapientiæ per explanatoriam Deiformium suarum habitudinum denominationem: perennem siquidem atque incessantem eorum circa res divinas motionem; fervoremque et acumen, et effervescentiam intentæ ac numquam intermissæ, numquamve declinantis motionis; subditosque ad superna surrigendi, et ad consimilem fervorem reipsa suscitandi inflammandique, nec non coruscanter penitusque conflagranter eos perpurgandi facultatem, et abscondi nesciam inextinctamque, semper eodem modo se habentem, luciformem, et illuminandi proprietatem, omnis tenebricosæ obscuritatis expultricem et abolitricem, nomen Seraphim luculenter designat. Cherubim vero, eorum vim cognoscendi, Deumque contuendi, et exuberantis capacitatem luminis, atque contemplandi in ipsamet primæva virtute divinam venustatem, nec non sapientificæ traductionis artificium, quoad inferiora donatam sibi sapientiam sine invidia derivant atque transfundunt. Thronorum porro sublimissimorum et excelsorum nomen denotat id quod ab omni terrena humilitate sine admixtione secretum est, quodque ad superiora divino studio fertur, nec in infimis ul-

Seraphim quid significet.

Cherubim quid.

Throni quid.

Digitized by Google

lis rebus habitat, sed totis viribus in eo, qui vere summus est, immobiliter firmiterque hæret, divinumque adventum sine ulla motione atque materia recipit, ac Deum portat, officioseque ad ea, quæ divina sunt, capienda propensum est.

§. 2. Atque hæc quidem est nominum ipsorum, quantum capere possumus, interpretatio; quam autem eorum Hierarchiam esse putemus, dicendum est. Omnis enim Hierarchiæ scopum ex divina Deiformitatis imitatione constanter dependere, omnemque functionem Hierarchicam, in sacrosanctam purissimæ mundationis et divini luminis, perfectivæque scientiæ participationem atque collationem dividi, satis superque jam a nobis dictum existimo: nunc autem pro supremarum istarum mentium dignitate dicere desidero, quanam ratione sacer earum ordo a Scripturis explicetur. Primis istis essentiis, quæ post substantificum ipsarum Deiprincipatum collocatæ, et quasi in vestibulo ejus sitæ, creatam virtutem omnem, tam invisibilem quam visibilem transcendunt, propriam quandam et uniformem Hierarchiam esse existimandum est. Puræ siquidem censendæ, non quasi a maculis (dumtaxat) impuris colluvionibusque sint liberæ, vel quod in eas materialia visa non cadant; sed quod omnimo imminutione omni, omnique re sacra sibi subdita celsiores, præ summa puritate, omnibus etiam, vel maxime Deiformibus virtutibus, sint antepositæ ordinisque sui motum proprium æquabilemque per amorem Dei constanter teneant, invariatum, neque ullam in deterius agnoscant imminutionem, sed inconcussam semper et immobilem

Primæ Hierarchiæ dignitas.

Digitized by Google

Deiformis suæ proprietatis sedem habeant. Contemplatrices item, non quasi symbolorum, quæ vel sensu vel mente percipiantur spectatrices, neque varietate contemplationis sacrarum Scripturarum ad Deum elevatæ: sed tanquam omni cognitione simplici altioris luminis expletæ, et contemplatione illius pulchritudinis, quæ est effectrix et origo pulchritudinis, et quæ supra substantiam est, et in tribus splendet, quatenus fas est, refertæ: communionis vero Jesu similiter participes factæ, non quasi in imaginibus sancte informatis, quæ veluti formæ in eis Deificam similitudinem exprimant, sed tamquam vero ad eum appropinquantes in ipsa prima participatione cognitionis luminum ejus Deificorum; nec non quod Deum imitandi ratio, sublimissimo ipsis modo sit indulta, et in primæva, quantum iis fas est, potentia divinis ejus humanisque virtutibus communicent. Similiter perfectæ sunt, non quasi varietates istas sacras resolvendi scientia sint illustratæ; sed quod prima et præcellente Dei unione satientur, juxta supremam illam (cujus capaces sunt Angeli) divinorum operum disciplinam: siquidem non ab aliis quibusdam sanctis spiritibus, sed ab ipsamet Divinitate sacris initiantur, dum ad Deum immediate per virtutem ordinemque rebus omnibus superiorem surriguntur, nec non in eo summa puritate summaque constantia stabiliuntur; et pro immateriali ac spiritali decore suo, quantum fas est, ad contemplationem promoventur, atque scientificis divinorum operum rationibus, tanquam primæ Deoque proximæ, erudiuntur ab ipsomet initiandi principio, eminenti modo consecratæ.

Quam perfecta sit prima Hierarchia.

Digitized by Google

§. 3. *Inferiores a superioribus, supremos a Deo initiari.*

Hoc igitur Theologi perspicue declarant, ut inferiores quidem cælestium essentiarum ordines, a superioribus divinorum operum scientiam convenienti modo percipiant; ii vero qui omnibus antecellunt, ab ipsamet Deitate summa, uti fas est, sacris disciplinis illustrantur. Quosdam enim eorum introducunt, a superioribus sacrosancte eruditos, illum esse Dominum cælestium virtutum Regemque gloriæ, qui humana specie assumptus est in cælum nonnullos item circa ipsummet Jesum hæsitantes, divinique ejus pro nobis suscepti operis scientiam discentes, ipsumque Jesum eos per se docentem, ac primum ejus summam in homines benignitatem explicantem.

Isai. 63. 1. *Supremorum in illustratione recipienda reverentia.*

Ego enim, inquit, *loquor justitiam et judicium salutaris.* Miror autem, primas etiam cælestium essentiarum, tantumque cæteris præstantes, non secus ac medias, divinarum quoque illustrationum desiderio timide affici; neque enim illæ per se quærunt, *Cur rubra sunt vestimenta tua?* sed prius secum hæsitant attonitæ, declarantes quidem se dicendi avidas divinæ operationis appetere cognitionem, verum hanc, ante divinam indultæ sibi illustrationis processionem, minime prævenire. Prima igitur cælestium intelligentiarum Hierarchia ab ipsomet initiandi principatu consecrata, per eam qua in ipsum immediate surrigitur, sanctissimam purgationem, pro captu suo referta copioso lumine perfectissimæ sanctificationis, purgatur, et illuminatur, atque perficitur; omnis quidem vilitatis expers, primæ vero lucis plena, primitæve cognitionis atque scientiæ participatione perfecta. Compendio denique non abs re dixerim, divi-

Supremi quomodo expientur, illustrentur et perficiantur.

Digitized by Google

næ scientiæ participationem esse purgationem, et illuminationem, atque perfectionem: dum quidem ignorationem quodammodo expiat per perfectorum mysteriorum scientiam, quæ pro sua cuique dignitate conceditur; per divinam vero cognitionem illuminat, qua etiam purgat mentem illam, quæ antea non viderat ea, quæ modo illi per sublimiorem illustrationem elucidantur; rursumque perficit eodem ipso lumine, per stabilem scientiam clarissimarum eruditionum.

Atque hic quidem, quantum capio, primus est cælestium essentiarum ordo, qui in circuitu Dei circaque Deum immediate consistit, simpliciterque et jugiter æternam ejus ambit cognitionem, juxta sublimissimam, quæ in Angelis inest semper, mobilem constitutionem; ita ut et multis beatisque perfruatur contemplationibus, simplicibusque et immediatis collustrationibus illuminetur, divinoque cibo saturetur; atque illo quidem primæva diffusione copioso, unico tamen et invariato unificoque, propter divinæ refectionis unitatem. Quin et multa quoque Dei consuetudine operumque communicatione dignus est habitus, propter ejus cum illo, quanta potest existere, habitudinum actionumque similitudinem probatissimarum: plurimas quoque res divinas eminenti quadam ratione cognoscit, divinæ scientiæ cognitionisque, quantum fas est, particeps effectus; quamobrem etiam terrigenis laudes ejus Theologia tradidit, quibus sublimissimæ illius illustrationis eminentia sacrosancte declaratur. Nonnulli siquidem ex illo ordine, ad sensum accommodate loquendo, quasi vox et

§. 4.

Quid supremi spiritus agant.

Digitized by Google

Ezech. 3. 12. fremitus aquarum multarum clamant, *Benedicta gloria Domini de loco suo:* alii vero celeberrimum illud et veneratione plenissimum divinæ laudis canticum Isa. 6. 3. exclamant, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth, plena est omnis terra gloria tua.* Has autem sublimissimas cælestium intelligentiarum hymnologias, sive laudum celebrationes, jam pridem in iis, quæ de Divinis Hymnis conscripsimus, pro facultate nostra explanavimus, ibidemque de illis satis superque pro modulo nostro dictum est; ex quibus id, memoriæ causa, in præsentiarum repetere sufficiat, ut primus ille ordo a divina bonitate quantum par est, Theologica illustratus scientia, eamdem deinde, ceu benefica Hierarchia, sequentibus transcripserit, illud, ut compendio dicam, docens, quemadmodum veneranda, et superbenedicta, omnique laude digna Divinitas, a Deicapacibus intelligentiis, quantum ab iis cognosci ac celebrari potest, jure debeat deprædicari, cum sint quasi Deiformes, divini quidam loci, ut eloquia testantur, divinæ requietis: nec non ut monas unitasque, quæ tribus inest personis, a supercælestibus naturis ad infima usque terræ per suam benignissimam res omnes penetret providentiam, tamquam quæ omnis sit essentiæ superprincipiale principium et causa, nec non superessentialiter universa incomprehensibili suo complexu comprehendat.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De Dominationibus, Virtutibus, et Potestatibus, et de media earum Hierarchia.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Explicat quid significent Dominationes, Virtutes, ac Potestates; et quanam ratione media ista Hierarchia initietur seu illustretur. 2. Exemplo declarat, quomodo illustratio a superioribus spiritibus ad inferiores derivetur.

§. 1.

Modo nobis transeundum est ad mediam cælestium spirituum distinctionem, Dominationes istas supermundanis oculis, prout possumus, contemplando, una cum potentibus revera spectaculis divinarum Potestatum atque Virtutum; quælibet enim naturarum appellatio supernarum, Divinitatis imitatrices earumdem deiformes denotat proprietates. Nomen itaque quod sanctas designat Dominationes, existimo declarare absolutum aliquem et ab omni terrena utilitate liberum ad superna transitum, nullaque penitus tyrannica dissimilitudine ullo modo inclinatam, sed liberaliter severam domiffationem, quæ omni abjecta servitute celsior, omni dejectione superior, et ab omni dissimilitudine remota, verique dominatus, nec non principij dominationis jugiter avida, cum ipsa se, tum sibi subdita ad genuinam ejus similitudinem, quoad potest, benefice transformat; et ad nihil eorum quæ inaniter apparent, sed ad id quod vere est totaliter conversa, Dominicæ semper deiformitatis particeps exietit. Sanctarum autem appellatio

Dominationes quid significent

Digitized by Google

Virtutes quid. Virtutum, fortem quandam et inconcussam denotat virilitatem, in omnes deiformes earum actiones redundantem, ne quidquam admittant, quo ipsis insitæ divinitus illustrationes imminutæ deficiant; quæ magnis viribus ad Dei nititur imitationem, neque motui divino ignavia sua deest, sed constanter ad superessentialem ac potentificam virtutem intuens, nec non ipsiusmet virtutis, quantum fas est, effecta simulacrum, ad eandem quidem, ceu virtutem principalem, valide convertitur, ad ea vero quæ posteriora sunt, virtutem iis suppeditando, deiformiter dimanat. Porro *Potestates quid.* sanctarum nomen Potestatum, coæqualem divinis Dominationibus Virtutibusque distributionem signat, et inconfusum divinis rebus excipiendis ordinem, nec non intellectualis ac supermundialis potestatis dispositionem, quæ nequaquam tyrannice in pejus potentiæ suæ viribus abutatur, sed et ipsamet animo invicto apte ad divina dirigatur, atque se sequentia benignissime promoveat, et ad potentificæ potestatis principatum, quantum fas est, accedat, eumdemque, prout valent Angeli, præclarissimis potestativæ virtutis suæ functionibus illustret. Deiformibus hisce freta proprietatibus, media illa cælestium intelligentiarum dispositio purgatur, et illuminatur, atque perficitur, eo modo quo dictum est, divinis illustrationibus, per primum ordinem hierarchicum secundo sibi loco inditis, perque ipsum medium, secunda manifestatione diffusis. *Quomodo media Hierarchia ini tictur.*

§. 2. Dictam itaque notitiam, quæ ab uno Angelo in alterum derivatur, indicium faciamus perfectionis ejus quæ eminus procurata, progressu ac profusione sub-

Digitized by Google

obscure ad inferiores pervenit. Quemadmodum enim sacrorum nostrorum mysteriorum periti, seipsis apparentes divinorum luminum expletiones præstare censent iis, quarum aliquid aliorum interjectu participes existunt: similiter existimo, Angelicorum ordinum, qui primi in Deum extenduntur, immediatam illustrationem perspicaciorem esse participatione illorum qui per medium perficiuntur. Hanc ob causam quoque primæ intelligentiæ in Sacerdotali nostra traditione, perfectivæ ac lucificæ, expiatoriæque virtutes nominantur earum inferioris ordinis existunt; quippe quæ per illas ad superessentiale omnium principium subvehantur, atque mysticarum expiationum, et illuminationum, perfectionumque, quoad iis fas est, participes reddantur. Hoc enim universim divina ordinatione divinitus statutum, ut quæ secunda sunt, per prima divinas participent illuminationes. Quod utique multoties a Theologis expressum reperias: nam cum divina paternaque clementia populum Israeliticum, conversionis ejus ac salutis ergo, corripuisset, ultricibusque ac crudelibus nationibus corrigendum tradidisset; ut quos provide gubernabat, omni modo ad meliorem frugem adduceret, a captivitate quoque liberos ad pristinam fortunam benigne revocavit. Theologus quidam nomine Zacharias visu percepit, primorum quemdam, ut opinor, ex iis qui Deo proximi sunt Angelorum (communis enim, uti dixi, omnibus Angelica cognominatio est) ab ipso, sicut dictum est, Deo hac ipsa de re verba consolationis percepisse: alterum autem ordinis inferioris Angelum, obviam priori, lucis ca-

Exemplo declaratur, quomodo illustratio transfundatur.

Digitized by Google

piendæ ac participandæ causa, præcedentem, cum ab eodem deinde divinum consilium, tanquam a Sacerdote summo, percepisset, illud ipsum ex imposito munere Theologum docuisse, fore ut Jerusalem frugifere a magna hominum multitudine incoleretur.

Ezech. 9. 10. et 12. Quidam alius item Theologus Ezechiel, hoc a Deitate ipsa supergloriosa, quæ Cherubim transcendit, sacrosancte sancitum asserit: Israeliticum enim populum cum, ut dictum est, clementia paterna per disciplinam ad frugem traduceret meliorem, æquitate Deo digna reos ab insontibus secernendos censuit. Hoc primus secundum Cherubim docetur ille, cujus renes saphiro præcincti erant, quique talari veste, pontificatus insigni, amiciebatur. Cæteros exinde Angelos securibus armatos, a priori illo divina jubet ordinatio divinum hac de re judicium edoceri: huic siquidem præcepit, ut per mediam Jerusalem transiret, atque signum insontium virorum frontibus imprimeret; aliis autem ait, Exite in civitatem post eum, et percutite, et nolite parcere oculis vestris; ad omnes autem super quos est signum, ne appropinquetis. Quid autem de illo dicat quis Angelo, qui

Dan. 9. 23. Danieli ait, Egressus est sermo? aut de primo illo, qui ignem de medio Cherubim accepit? vel, quod Angelicam luculentius confirmat distinctionem, de Cherubim ignem ingerente in manus ejus qui stolam sanctam indutus erat? aut de illo qui Gabrieli di-

Dan. 8. 16. vinissimo, cum eum accersisset, dixit, *Fac illum intelligere visionem?* aut de omnibus aliis, quæ de cælestium ordine Hierarchiarum prorsus deiformi a sacris sunt Theologis commemorata? ad cujus uti-

Digitized by Google

que imaginem si sacer hic ordo noster se componat, eique, quantum potest, assimiletur, Angelicum profecto decorem illum velut in figuris exprimet, formam inde capiens; ac per eum ad supercessentialem omnis sacri ordinis originem attollétur.

CAPUT IX.

De Principatibus, Archangelis, et Angelis, deque ultima eorumdem Hierarchia.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Exponit quid significent Principatus. 2. Quid Archangeli et Angeli; et quodnam sit horum officium. 3. Ostendit non Angelis imputandum esse, quod aliqui sub illorum directione non proficiant: illos enim et Deum ex parte sua nemini deesse, exemplis probat. 4. Declarat divinam etga omnes providentiam; et quo sensu Israel peculiariter pars Domini dictus sit.

Reliqua nobis ad contemplandum superest sacra illa distinctio, quæ Angelicas concludit Hierarchias deiformibus Principatibus, Archangelis et Angelis adornata. Ac primum quidem pro virili necessario mihi explicandas censeo sacrorum eorum nominum significationes: nomen siquidem cælestium Principatuum significat eorum, cum sacro quodam principalibusque virtutibus convenientissimo ordine, deiformiter principandi atque gubernandi potestatem, nec non ad superprincipalem principatum totaliter se convertendi, et ad ipsum alios quoque principaliter ducendi, ipsiusque principificis formam principatus in semetipsis, quantum fas est, exprimendi, ejusdemque

Digitized by Google

superessentialem ordinandi principatum, in principalium virtutum dispositione declarandi facultatem.

§. 2. *Archangeli quid.*

Sanctorum vero Archangelorum ordo, cælestibus quidem istis Principatibus æqualis perhibetur. Est equidem, uti dixi, una illorum atque Angelorum Hierarchia, eademque distinctio; verum cum nulla sit Hierarchia, quæ non primas et medias ultimasque virtutes habeat, sanctus Archangelorum ordo, jure quodam hierarchico communi, medietate sua continet extremas: sanctissimis enim Principatibus communicat et sanctis Angelis; illis quidem, quoniam ad superessentialem Principatum principaliter conversus est, et ad ipsum, quantum fas est, efformatur, nec non Angelis decoro suo atque ordinato, qui aspectum effugit, ducatu unionis auctor existit; his autem, quia etiam ordinis est dictatorii, divinasque illustrationes hierarchice per primas virtutes suscipiens, exinde iis ipsis Angelis easdem benevole annuntiat, nobisque per Angelos manifestat, pro cujusque illorum, qui divinis illustrationibus afflantur, ad res sacras capacitate. Ipsi enim Angeli, sicut prædiximus, omnes cælestium intelligentiarum ordines complendo terminant, ut qui novissime cælestes inter essentias, Angelicam sortiti sint proprietatem; adeoque præ superioribus istis, hoc rectius a nobis Angeli vocentur, quo magis ipsorum Hierarchia res evidentiores ac mundanas attingat. Siquidem supremam illam, uti dictum est, distinctionem, tamquam secreto illi sacratissimo primo ordine propinquam, magis abdite putandum est secundæ res sacras moderari; secundam vero, quæ sanctis Dominationibus

Angeli quid.

Digitized by Google

et Virtutibus ac Potestatibus expletur, Potestatum et Archangelorum atque Angelorum Hierarchiæ præsidere, prima quidem Hierarchia manifestius, sed occultius sequente: porro Principatuum, Archangelorum atque Angelorum ordinem explanatorium humanis per vices præesse Hierarchiis, ut hoc ordine ad Deum sit ascensus, et conversio communioque atque unio, quæ etiam a Deo omnibus Hierarchiis benevole affletur, communicationeque quadam inseratur, cumque decore sacratissimo promanet. Hinc Theologia nostram Hierarchiam Angelis attribuit, cum populi Judæorum principem appellet Michaelem, aliosque gentium aliarum: statuit enim Altissimus terminos gentium, juxta numerum Angelorum Dei.

Angeli sunt nostri rectores. Dan. 10.

Quod si quærat aliquis, quare populus Hebræorum solus ad divinas illustrationes sit evectus, respondendum utique, rectis Angelorum gubernationibus nequaquam imputandum esse, cæterarum gentium ad falsos deos defectionem, sed eas ipsas motibus propriis a recta, quæ ad Deum ducebat, via deflexisse, per amorem proprium, suamque pervicaciam, et rerum, quibus divini quidpiam inesse arbitrabantur, absurdum cultum. Hoc ipsum Hebræorum populo usu-venisse confirmatur: *Agnitionem*, (enim inquit) *Dei repulisti, et post cor tuum ambulasti.* Neque enim vita nobis est, cui vis illata, aut imposita necessitas, nec eorum quæ providentur libertate, divini radii illustrationis, quæ a providentia manat, obtunduntur: sed oculorum mentis dissimilitudo facit, ut exundans paternæ bonitatis illustratio vel omnino cassa sit, et propter eorum repugnan-

§. 3.

Osee. 4. *Quod aliqui non proficiant, id non est Angelis imputandum, nec Deo.*

Digitized by Google

tiam inutilis; vel ejus participationes existant inæquales, parvæ vel magnæ, obscuræ vel claræ, cum unus sit et simplex, eodemque modo semper se habeat fontalis ille radius qui jugiter est expansus: præsertim cum cæteris quoque gentibus (e quibus nos emersimus ad illud divini luminis immensum et exundans pelagus, quod in promptu omnibus ad participandum est expansum) non alieni quidam dii præfuerint, sed unum omnium principium, et ad illud Angeli, qui cuique nationi præfecti erant, sequaces suos adducerent. Considerare libet Melchisedech Pontificem illum Deo carissimum, qui nequaquam inanium deorum, sed altissimi verique Dei Sacerdos fuit: neque enim simpliciter Melchisedechum Theologi non solum Dei amicum, sed et Sacerdotem appellarunt; ut vel sic prudentioribus aperte indicarent, non modo ipsum ad verum Deum fuisse conversum, verum etiam aliis ad veram et solam supremamque Deitatem provehendis ducem extitisse.

Deus nemini deest ex parte sua.

Probatur exemplo Melchisedech.

Gen. 14.

§. 4. Illud quoque Pontificiæ tuæ scientiæ commemorabimus, ut et Pharaoni ab Angelo Ægyptiorum præside, et Babyloniorum Principi a proprio itidem, omnibus prospicientis atque dominantis providentia potestasque per visiones fuerit intimata, utque gentibus istis veri Dei ministri, ductorum instar fuerint præfecti, ad figuratas illas Angelicas visiones interpretandas, quæ viris sanctis Angelorum similibus, Danieli inquam et Josepho, ex parte Dei per Angelos ante fuerant revelatæ: unum quippe omnium est principium unaque providentia. Neque ullo modo putandum est, quasi Judæis quidem sortito Deus

Gen. 41.

Dan. 2.

Providentia Dei in omnes.

Digitized by Google

præfuerit, Angeli autem seorsum, vel æqualiter, vel opposite, aut alii etiam dii cæteris gentibus imperitarint: sed hoc eloquium sano quodam sensu sacro intelligendum est, non quasi Deus cum aliis diis, Angelisve nostri partitus sit gubernationem; atque Israeliticæ gentis principatum, atque ducatum ipse sortitus sit; sed quod, cum Altissimi unica illa rerum omnium providentia, cunctos homines ad salutem Angelorum ductibus tradiderit promovendos, solus ferme Israel, præ omnibus, ad veri Dei notitiam et illustrationem fuerit conversus. Itaque Theologia, cum populum Israeliticum se veri Dei cultui mancipasse narrat, ait, *Factus est pars Domini;* cum autem ostendit, eum quoque, pari cum cæteris nationibus jure, sanctorum cuidam Angelorum fuisse consignatum, ut ejus opera unicum illud rerum omnium principium agnosceret, Michaelem Judaico populo præfectum tradit, aperte docens, unicam esse omnium providentiam, quæ cunctis simul tam invisibilibus quam visibilibus virtutibus superessentialiter præstet; omnes autem Angelos singularum gentium præfectos, ad illud ipsum principium, ut proprium, eos, qui ultro ac sponte sequantur, deducere.

Psal. 134. Deut. 32. *Israel quomodo pars Domini dictus.* Dan. 10.

CAPUT X.

Repetitio et conclusio Angelici ordinis.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. *Docet, sublimiores Angelos sublimiori quoque modo illustrari.* 2. *In illustrationibus servari quoque subordina-*

Digitized by Google

tionem. 3. Omnes sive Angelos sive homines triplicem habere potentiam.

§. 1. *Sublimiores Angelos sublimiori modo illustrari.*

Conclusum igitur a nobis, quomodo illa quidem antiquissima, quæ Deo præsto est, intelligentiarum distributio, ab ipsamet primitus initiante illuminatione consecrata, immediate illi intendendo, secretiori simul et manifestiori divini principatus illustratione purgetur et illuminetur atque perficiatur. Secretiori quidem, quia spiritaliori magisque simplifica-unificaque: manifestiori autem, quia primitiva primilucaque et universaliori, ipsique (utpote liquidiori) intimius infusa. Ab hac autem ut iterum secunda pro sua portione, et a secunda tertia, et a tertia noster hic sacer ordo, juxta primævæ illius rectæ constitutionis legem, divina prorsus harmonia congruentiaque ad superoriginalem omnis bonæ ordinationis originem et terminationem sacro quodam ordine promoveatur.

§. 2. *Subordinatio in illustrando.*

Singuli autem ordines sunt eorum qui præcedunt interpretes ac internuntii; primi quidem illi, motoris sui Dei, cæteri autem eadem ratione, motorum a Deo: adeo enim illa superessentialis rerum omnium harmonia cuilibet sacro tam rationalium quam spiritalium creaturarum ordini, ratoque ductui consuluit, ut et ipsa singulis Hierarchiis decoros ordines statuerit, atque omnem Hierarchiam in virtutes primas, et medias atque postremas distributam esse videamus. Quinimo singulas, ut proprie dicam, spirituum descriptiones iisdem divinis harmoniis discrevit, propter quod ipsos etiam divinissimos Seraphim Theologi alterum ad alterum clamare ajunt: qua

Isai. 6.

Digitized by Google

quidem re, mea sententia, manifeste declarant, primos participes facere secundos divinarum rerum atque notionum.

Hoc quoque non immerito possum addere, quamlibet cælestem et humanam mentem seorsum proprios in se continere et primos, et medios, et ultimos ordines atque facultates, quæ eodem modo, quo superiores singularum Hierarchiarum illustrationum proprii ductus, eluceant, quibus unaquæque mens pro suo captu quam nitidissimæ purgationis, copiosissimi luminis, absolutæque perfectionis fit particeps. Nihil est enim per se absoluteque perfectum, aut quod omnino perfectionis non indigeat, nisi quod per se revera perfectum est, et præperfectum.

§. 3. *Omnes tam Angelos quam homines triplici facultate pollere.*

CAPUT XI.

Cur omnes cælestes naturæ communi nomine Virtutes cælestes appellentur.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Docet, cælestes omnes spiritus non eadem ratione virtutes, qua Angelos vocari. 2. Nomen hoc commune virtutum non introducere confusionem ordinum ac proprietatum, sed sicut omnes essentia, virtute et operatione constant, ita modo quidem essentias, modo vero virtutes et energias nuncupari.

His ita definitis, illud consideratione dignum, cur omnes simul Angelicas essentias, Virtutes cælestes appellare soleamus. Neque enim, ut in Angelis dicere possumus, sanctarum illam virtutum novissimam esse distributionem: atque superiorum quidem

§. 1.

Psal. 23. Psal. 79. Ps. 102.

Digitized by Google

essentiarum dispositiones, sanctam et decoram novissimarum illustrationem participare, secus quam ultimæ primarum, ob eamque causam, cælestes quidem virtutes omnes, divinos spiritus appellari, Seraphim autem et Thronos atque Dominationes nullo modo; novissimæ siquidem superiorum proprietates haud universim participant. Angeli itaque, et ante Angelos Archangeli et Principatus ac Potestates, cum post Virtutes a Theologia collocentur, frequenter a nobis una cum aliis naturis sanctis, cælestes passim virtutes appellantur.

Veruntamen negamus, nos, cum communi cælestium Virtutum nomine in omnibus utimur, confusionem ullam cujusque ordinis proprietatum introducere: sed quoniam in tria omnes divinæ mentes cælesti ratione sua divisæ sunt, in essentiam videlicet, et in virtutem, et in operationem, cum omnes, aut aliquas earum, indiscriminatim cælestes essentias, vel cælestes virtutes appellamus, eas, de quibus sermo est, circuitione describere putandi sumus, ex ea quæ singulis earum inest essentia, vel virtute. Neque enim fas sit eminentem illam sanctarum virtutum proprietatem, a nobis jam rite digestam, inferioribus naturis universim attribuere, unde inconfusus ille Angelicarum distinctionum ordo perturbaretur. Juxta enim rationem jam a nobis sæpe redditam, superiores istæ distinctiones inferiorum quoque sacras proprietates abunde continent, novissimæ vero antiquiorum eminentibus istis universitatibus carent, primitivis istis illustrationibus in illas pro cujusque captu partiliter derivatis.

Cælestes Spiritus dividi in essentiam, virtutem et operationem.

Digitized by Google

CAPUT XII.

Cur hominum Antistites Angeli vocentur.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Petit, cum inferiores ordines superiorum perfectiones non attingant, cur a Malachia cap. 2. 7. Sacerdos dicatur Angelus Domini omnipotentis. 2. Respondet, inferiores, licet ad æqualitatem superiorum perfectiones minime attingant; eorum tamen similitudinem imitando exprimere, et officium æmulari, et ideo etiam nomen participare. 3. Confirmat id ex eo, quod tam Angeli, quam homines ob eandem causam quandoque etiam dii appellentur.

§. 1. Cæterum et hoc a sedulis eloquiorum spiritualium contemplatoribus quæritur: etenim si quæ novissima sunt, totas superiorum suorum rationes minime attingunt, quam ob causam noster Antistes Angelus Domini omnipotentis ab eloquiis denominetur? Mal. 2. 7. Apoc. 2.

§. 2. *Inferiores non in totum participant superiorum facultates*

Hæc autem ratio non adversatur iis quæ ante definita sunt: dicimus enim, novissimas antiquiorum dispositionum integram et eminentem virtutem non attingere; nam partis etiam pro captu suo sunt participes, secundum unam omnium concinnam collectamque communionem. Exempli gratia, sanctorum Cherubim ordo sapientiæ scientiæque altioris est particeps, naturarum autem illis subditarum distributiones sapientiæ quidem et ipsæ cognitionisque compotes existunt, veruntamen dumtaxat partialis pro captu suo et inferioris ordinis. Atque universim quidem sapientiæ cognitionisque participem existere,

Digitized by Google

commune est omnibus deiformibus intelligentiis; verum continenter et immediate, primove vel secundo inferiorique gradu, non est jam commune, sed prout cuilibet pro cujusque captu fuerit distributum. Hoc utique de omnibus quoque mentibus divinis qui statuerit, minime errabit: sicut enim primæ eminenter sacrosanctas inferiorum continent proprietates, ita quoque ultimæ priorum, licet non pari, sed inferiori gradu. Nihil igitur absurdi sit, ut puto, si nostri ordinis Antistitem Theologia quoque Angelum appellet, ut qui pro virili parte Angelicam etiam docendo participet proprietatem, atque ad eorum similitudinem, quantum in hominibus est, per interpretandi munus accedat.

Antistites cur Angeli dicantur.

§. 3. Psal. 94. Gen. 32. Psal. 81. Exod. 7. *Quo sensu Angeli et homines dii dicantur.*

Quinimo reperias, Theologiam quoque deos appellare cælestes illas supernasque substantias, uti et sanctos, qui apud nos sunt, viros Deoque amicissimos; cum tamen arcanus ille Dei principatus superessentialiter omnibus emineat, ut supra omnia locatus, nihilque illi proprie atque ex tuto simile in rebus vel esse, vel nominari possit; veruntamen quæcumque seu spiritalium seu rationalium creaturarum ad ejus unionem, quantum valet, integre conversa fuerit, et ad divinas ejus illustrationes, quoad potest, indesinenter intenderit, quod pro virili, si dictu fas est, Deum imitetur, divino quoque nomine condecoratur.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Cur a Seraphim purgatus fuisse dicatur Isaias Propheta.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Quærit cur non infimi, sed supremi ordinis Angelus Isaiam expiasse dicatur. 2. Respondet, dici posse probabiliter non fuisse Seraphinum, sed hoc nomine appellatum, ob modum expiandi per ignem. 3. Refert alteram sententiam, quæ censet hunc Angelum fuisse quidem ex inferiori ordine, sed expiandi munus supremo isti ordini attribuisse, quod virtute ejus expiaret, sicut v. g. Summus Pontifex dicitur ordinare per Episcopos, et baptizare per Sacerdotes, quia ipsi potestate ab ipso accepta id faciunt, quam sententiam magis probat. 4. Describit visionem Isaiæ. 5. ubi vidit Dominum in throno sedentem, et Seraphim in circuitu ejus, et narrat quomodo Isaias expiatus sit, et singula mystice exponit.

§. 1. Agedum illud quoque pro viribus indagemus, cur ad quendam ex Theologis Seraphim mitti memoretur. Etenim dubitabit aliquis et hæsitabit, cur non quispiam inferiorum Angelorum, verum is qui antiquissimis essentiis annumeratur, Prophetam expiet. Isa. 6.

§. 2. *Quo sensu Seraph. Isaiam expiet.* Nonnulli quidem, juxta superius assignatam de omnium intelligentiarum communione definitionem, ajunt, Scripturam minime nominare quempiam primorum qui Deo præsto sunt spirituum ad Theologum purgandum advenisse, sed aliquem ex iis qui nobis præfecti sunt Angelis, quod sacro illo purgandi Prophetam munere fungeretur, per æquivocationem Seraphim vocatum esse, propter peccatorum

Digitized by Google

quæ recensita erant per incendium obliterationem, et expiati ad divinam obedientiam resuscitationem: adduntque, Scripturam non aliquem ex iis qui Deo assident, commemorasse, sed ex virtutibus expiatricibus quæ nobis præsunt.

§. 3. *Altera sententia.*

Alius item haud admodum incongruam hujus quæstionis mihi tradidit solutionem: ajebat enim, magnum illum (quiscumque tandem is fuerit) Angelum, qui visionem hanc effinxerat, ut Prophetam divinis rebus institueret, expiandi munus, quod sui erat officii in Deum, et post Deum, ad primævam illam Hierarchiam retulisse. Ac numquid hæc oratio vera est? Referebat enim qui hoc asserebat, quomodo vis illa Dei principalis, cum ad omnia emanando pertingeret, libereque cuncta permearet, etiam tum tamen omnibus inaspectabilis existeret, non solum quatenus superessentialiter omnibus antecellit, verum etiam in quantum occulte omnia providentiæ suæ penetrat operatione: cunctis item naturis spiritalibus pro cujusque modulo illucet, dumque antiquissimis illis spiritibus lucis suæ radios immittit, per eosdem, utpote primos, inferioribus perquam ordinate se ad captum cujusque ordinis ac contemplandi facultatem dispertit. Ut autem dicam clarius, exemplis utar familiaribus, (quæ tametsi Deo, qui cunctis eminet, non ita congruant, nobis tamen planiora sunt) solaris inquam radii diffusio materiam sibi proximam, quippe cæteris liquidiorem, facillime trajicit, et per eam coruscationes suas clarius succendit: verum ubi in densiores aliquas materias inciderit, obscuriorem cernitur habere luminis diffu-

Exemplis declaratur, quomodo remotiores illustrationes sint obscuriores.

Digitized by Google

sionem, ob materiarum, quæ illuminandæ sunt, ad lumen diffundendum ineptitudinem; atque inde sensim ad hoc contrahitur, ut vix ultra distribui jam possit. Eodem modo calor ignis magis se diffundit in ea quæ ipsius sunt capaciora, et ad ejus similitudinem facile cedunt, et adducuntur; verum in naturis illi reluctantibus contrariisve, vel nullum aut exile efficacitatis ejus igneæ vestigium apparet: quodque hoc majus est, in ea quæ non sunt ejusdem generis, per illa quæ ipsi jam accommodata sunt se ingerit, ita ut primum, si ita res ferat, ignea faciat ea quæ facile ignescunt, atque iis adhibitis, aut aquam, aut aliquid aliud eorum quæ difficile ignescunt, eodem modo calefaciat. Secundum hanc igitur naturalis ordinis rationem supernaturaliter fons omnis ordinis, cum visibilis tum invisibilis distributionis, propriæ splendorem illustrationis primordialiter per influxus beatissimos supremis istis essentiis manifestat, et per illas reliquæ deinceps divinum istum radium participant. Hæ enim cum primæ Deum agnoscerent, divinæque virtutis ejus desiderio summo tenerentur, hoc etiam assecutæ sunt, ut primæ ad divinæ potestatis atque actionis imitationem pro captu suo pervenirent; eædemque inferiores ad eandem imitationem, quantum possent, benigne promoverent, dum absque invidia in illas inditæ sibi lucis partem derivant, ipsæque vicissim in inferiores: atque ita sigillatim, prima sibi proximam ejus quod sibi datum est participem facit, sicque per providentiam in omnes pro cujusque captu divina lux distribuitur. Est igitur omnium quæ illustrantur illumi-

Digitized by Google

nandi principium Deus quidem natura, et revera proprie ut lucis essentia, ipsiusque status et aspectus auctor: ex instituto autem Deique imitatione, quælibet superior ex parte cujuslibet inferioris, ad quam ejus interventu divina lumina trajiciuntur. Supremam igitur cælestium intelligentiarum dispositionem, cæterorum Angelorum omnium essentiæ, jure merito post Deum, omnis sacrosanctæ Dei cognitionis imitationisque principium esse censent, quod per illas in omnes ad nos usque Dei principalis illustratio derivetur: qua propter sacram omnem Deique imitatricem actionem ad Deum quidem ut auctorem referunt, ad primas autem ac Deiformes mentes, ut primarios effectores divinorum operum ac magistros. Prima itaque sanctorum Angelorum distributio magis præ reliquis igneam proprietatem continet, fusamque divinæ sapientiæ communionem, ac summæ divinarum illustrationum scientiæ usum atque peritiam, soliique proprietatem, quæ patulam ad Deum excipiendum capacitatem indicat: inferiorum autem essentiarum dispositiones hujus igneæ, sapientis, scientis, ac Dei capacis virtutis participes quidem sunt et ipsæ, sed inferiori gradu, et cum respectu ad priores per quas, ut divinæ imitationis præformatrices, ad Deiformitatem pro captu suo promoventur. Dictas itaque proprietates sacrosanctas, quarum secundæ naturæ per primas participes effectæ sunt, iis ipsis post Deum, tanquam præpositis suis, acceptas ferunt.

Supremo ordini post Deum attribuitur omnis illustratio inferiorum.

§. 4. Ajebat itaque, qui hæc referebat, visionem quidem illam exhibitam esse Theologo a quodam eorum, qui

Digitized by Google

nobis præsunt, sanctorum ac beatorum Angelorum, cujus illuminatrice manuductione ad spiritalem istam contemplationem fuerat evectus, in qua supremas illas essentias (quasi in symbolis, ut sic loquar) vidit infra Deum et juxta Deum et circa Deum collocatas, atque omnium insuper ipsarum superineffabiliter eminentem superprincipalem verticem, in medio supereminentium virtutum superpositum. Didicit itaque ex hisce visionibus Theologus, divinitatem, secundum omnem supernaturalem excellentiam, sine comparatione præstare omni visibili et invisibili virtuti, omnibusque insuper exemptam esse, ut quæ ne primis quidem istis essentiis ullo modo similis existat: ad hæc, ipsam omnium esse principium et causam substantificam, indissolubilisque rerum mansionis immutabile firmamentum, ex quo ut essent, et bene essent, supremæ etiam virtutes habuissent: ipsas deinde Deiformes sanctissimorum Seraphim virtutes docebatur, quorum sacrum nomen quid igneum designat, de quo nos paulo post dicemus, prout poterimus interpretari, istius igneæ virtutis ad divinam similitudinem impulsus. Porro cum senarum alarum sacræ fictionis absolutam summamque in Deum in primis ac mediis novissimisque mentibus excitationem, nec non innumerabiles eorum pedes, multasque facies sanctus ille Theologus videret, utque alis tam pedum quam facierum aspectus arcerentur, alæque mediæ perpetuo moverentur, ad intelligibilem eorum quæ cernebat scientiam adducebatur, explicata illi supremorum spirituum multivaga plurimaque cernendi facultate, sacraque eorum reverentia, quam

Visio Isaiæ, qua vidit Cherubim et Seraphim in circuitu Dei.

Quid alæ Seraphim.

Digitized by Google

supermundialiter exhibent in sublimiorum profundiorumque mysteriorum insolenti ac temeraria impenetrabilique perscrutatione, nec non optime digesta Deum imitantium actionum incessabili et altivolante perpetua motione. Quin et divinum illud præstantissimumque laudis canticum discebat, Angelo qui visionem efformabat, prout poterat, ipsi Theologo sacram suam scientiam communicante. Quin et hoc ipsum edocebat, quomodo divinæ claritatis ac munditiei pro cujusque captu participatio, quoquo modo mundis etiam esset expiationi. Quæ cum præcipuis de causis a Dei principatu in cunctis sacris mentibus superessentiali quodam secreto operatur, supremis tamen Virtutibus Deoque proximis manifestior quodammodo exsistit; iisque magis se explanat et insinuat: secundis vero novissimisve nostris virtutibus hisce spiritalibus, prout quæque a Deiformitate ipsa distat, ita claram ejus illustrationem ad secreti sui singularem confert ignorationem. Secundas porro sigillatim per primas illustrat, et ut summatim dicam, primitus ex occulto in apertum ducitur per virtutes primas. Hoc igitur Theologus ab Angelo, qui ipsum illustrabat, discebat, quomodo cum ipsamet expiatio, tum cæteræ Dei principales operationes omnes, per primas essentias elucentes, in omnes reliquas distribuantur, juxta cujuslibet ad Deificas participationes capacitatem: quapropter per ignem expiandi proprietatem merito ipsis Seraphim secundum Deum tribuit. Nequaquam igitur absurdum sit, si Theologum expiare Seraphim perhibetur. Ut enim Deus, hoc ipso quod omnis expiationis causa sit,

Quid hymnologia Sanctus.

Exemplo declaratur quomodo Seraphim Isaiam expiasse dicatur.

Digitized by Google

omnes purificat, vel potius (ut magis obvio exemplo utar) sicut apud nos Pontifex, dum per ministros suos seu Sacerdotes expiat, illuminatve, ipsemet expiare et illuminare dicitur, quod illi ordines, quos consecrat, sacrosanctas suas in ipsum referant actiones: sic Angelus quoque qui Theologum expiabat, propriam purgandi vim atque scientiam Deo quidem, ut auctori, Seraphim vero, tanquam primicerio sacrorum Antistiti, attribuit, ac si dicat, cum angelica quadam reverentia eum qui purgabatur instituens: Ejus quæ in te meo ministerio perficitur expiationis, principium quidem præcipuum, et essentia, opifexque atque auctor est is, qui primas etiam essentias et in lucem protulit, et juxta se collocando continet, atque conservat immutabiles, lapsusque expertes, et easdem movet ad primas providentiæ suæ operationes participandas: hoc enim is qui hæc me docuit, Seraphim legationem declarare dixit. Princeps autem sacrorum, et post Deum dux, primarum essentiarum ordo, a quo ego deiformiter expiare didici, is ipsius inquam est, qui per me te expiat, per quem providentiæ suæ actiones ex abdito ad nos produxit is, qui est auctor et effector omnis expiationis. Atque hæc ille quidem me docebat, tibi autem ipse trado: tuæ vero intelligendi discernendique scientiæ erit, aut per alteram dictarum causarum omni ambiguitatis scrupulo absolvi, eamque alteri, utpote probabilem, et consentaneam, ac forte veram, anteponere; aut per te, quid cum veritate conjunctius sit invenire, aut ab alio discere (Deo scilicet verbum tribuente, quod et Angeli interpretentur,) nobisque

Digitized by Google

Angelorum studiosis revelare clariorem (si fieri possit) mihique gratiorem contemplationem.

CAPUT XIV.

Quid significet traditus Angelorum numerus.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ex Danielis cap. 7. 10. docet, maximum esse Angelorum numerum, qui licet proprie quidem non sit infinitus, sed limitatus, major tamen sit ut ab hominibus comprehendi possit, solique Deo cognitus, et rerum omnium corporearum numerum excedat.

Angeli sunt innumerabiles. Dan. 7.

Equidem et hoc spiritali commentatione dignum censeo, ut eloquiorum de Angelis traditio millies eorum esse millia dicat, deciesque millies dena millia, summos illos quos adhibemus numeros, in seipsos glomerando ac multiplicando, quo per hos aperte declararet cælestium essentiarum ordines a nobis annumerari non posse. Multi namque sunt beati supermundanarum mentium exercitus, qui infirmam et contractam materialium nostrorum numerorum rationem penitus excedunt, sciteque definiuntur a sola ipsorum supermundiali cælestique intelligentia scientiaque, quæ illis abundantissime conceditur a Dei principali et infinitorum conscia creatrice sapientia, quæ superessentialiter omnium simul rerum et principium, et causa substantifica, et continens virtus et complectens determinatio existit.

Digitized by Google

CAPUT XV.

SYNOPSIS CAPITIS.

Quæ sint formatæ imagines virtutum Angelicarum, quid ignis, quæ humana species, qui oculi, quæ nares, quæ aures, quæ ora, quis tactus, quæ palpebræ, quæ supercilia, quæ pubertas, qui dentes, qui humeri, quæ ulnæ, quæ manus, quod cor, quod pectus, quod dorsum, qui pedes, quæ alæ, quæ nuditas, quod indumentum, quæ lucida vestis, quæ sacerdotalis, quæ zonæ, quæ virgæ, quæ hastæ, quæ secures, qui funes geometrici, qui venti, quæ nubes, quod æs, quod electrum, qui chori, qui plausus, qui colores diversorum lapidum, quæ forma leonis, quæ figura bovis, quæ species aquilæ, qui equi, quæ differentiæ colorum equinorum, qui fluvii, qui currus, quæ rotæ, quodnam gaudium dicatur Angelorum.

Agedum deinceps, si libet, mentis aciem laxantes, a sublimi, quæ Angelos decebat, contemplandi contentione ad dividuam ac multipartitam multiformis Angelicarum efformationum diversitatis latitudinem descendentes, rursum ab eis, ceu ab imaginibus, ad cælestium mentium simplicitatem retexendo revertamur. Illud autem tibi ante cognitum esse velim, dum sacrosanctis mysticarum quæ formantur imaginum sensibus anagogicis, eædem cælestium quandoque essentiarum distributiones præesse sacris, atque iterum subesse novissimæque sacris præsidere, primæque subdi, denique, ut dictum est, cum primæ tum mediæ tum postremæ virtutibus pollere significantur, istiusmodi modo explicandi absurdam nullam ratio-

§. 1.

Apoc. 16. 17.

Angeli respectu diversorum præsunt, et subsunt.

Digitized by Google

nem introduci. Nam si quidem gubernari aliquas a prioribus diceremus, easque has ipsas exinde gubernare, prioresque, quæ novissimas sacris imbuunt, imbui denuo ab illis ipsis quas imbuerunt; utique absurda plane confusionisque plenissima res ista foret. Sin autem sacris illas et erudire et erudiri dicimus, non tamen easdem aut ab iisdem, sed earum singulas instrui quidem a prioribus, instruere vero posteriores, haud incongrue quis dixerit, sacras illas quæ in Eloquiis formantur imagines, easdem aliquando posse cum primis tum mediis tum ultimis virtutibus proprie simul vereque accommodari. Quare tam illa in anteriora se convertens intentio, quam circum semetipsas constans volutatio, virtutumque custodia propriarum, nec non earundem, per communicantem se inferioribus processum, providæ virtutis participatio cunctis profecto cælestibus intelligentiis verissime competit, licet quid eminenter aliis et universim (ut sæpe dictum) aliis vero ex parte ac remisse.

§. 2. Cæterum initium sermonis faciendum, et quærendum in prima mysticarum figurarum explanatione, quare Theologia præ cæteris fere sacram illam igneam descriptionem comprobasse reperiatur. Siquidem comperias eam non solum rotas igneas formare, verum etiam ignita quædam animalia; virosque fulgureos, et circum cælestes essentias prunarum acervos collocare, fluminaque ingenti fragore flammigerantia: quin imo Thronos igneos esse dicit, ipsosque summos Seraphim incensos ex ipso nomine declarat, eisque proprietatem et actionem ignis tribuit; atque omnino sursum ac deorsum igneam figuram singu-

In quibus et ad quid ignis in Scripturis celebretur.

Digitized by Google

lariter commendat. Quapropter formam igneam significare censeo, cælestium intelligentiarum maximam cum Deo conformitatem: sancti siquidem Theologi superessentialem, et quæ formari nequit essentiam, in igne sæpenumero describunt, tanquam qui multas quodammodo visibiles (si dictu fas est) divinæ proprietatis imagines præ se ferat. Ignis namque sensilis inest omnibus, ut sic dicam, ac pure cuncta pervadit, et ab omnibus excipitur: cumque totus luceat, simul est et occultus, ignotusque manet per se, non adhibita materia in quam vim suam exerat: intolerabilis est et invisibilis, omnia superat, eaque quibus insedit ad suum traducit officium: alterandi vim obtinet, omnibus sibi quoquo modo propinquantibus sui consortium tradit: renovat omnia calore vitali, et fulgoribus apertis illuminat: teneri miscerique non potest, secernendi vim habet, immutabilis est, sursum fertur, penetrabilis: sublimis, nullam sustinet dejectionem, semper mobilis, seipso movetur, movet alia, comprehendendi vi pollet, comprehendi nequit, non eget altero, clam se amplificat, et in qualibet capaci materia suam indicat majestatem: efficax est, potens, omnibus invisibiliter præsens: si negligatur, non videtur existere; attritu autem, velut indagine quadam connaturaliter ac proprie subito relucet, atque sursum incontinenter avolat, et in omnibus luculentissimis sui communionibus minime minuitur. Complures item alias quis invenire potest ignis proprietates, quæ quasi sensiles divinæ efficacitatis imagines existant. Quod cum Theologi perspectum habeant, cælestes essentias ex igne formant,

Heb. 12.

Ignis proprietates quæ.

Digitized by Google

declarantes earum divinam similitudinem, et, quantum licet, Dei imitationem.

§. 3. *Quid humana forma in cœlestibus denotet.*

Humana quoque illas forma describunt, propter intelligendi celsasque spectandi vires, formaque rectitudinem et erectionem, atque naturalem principandi regendique prærogativam, et quod homo sensu quidem cæterorum comparatione brutorum minime valeat, omnibus tamen imperet præstanti vi, mentis ac rationabilis scientiæ dominatu, animoque natura libero et invicto.

Quin imo fas sit etiam ex qualibet, ut arbitror, corporeæ nostræ multipartitione non incongruas imagines haurire, quæ cœlestes virtutes repræsentent, ut si dicamus, videndi quidem facultates declarare perspicacissimam ad divina lumina suspectionem, nec non simplicem ac liquidam minimeque refragantem, sed agilem, puramque patulamque divinarum illustrationum sine passione susceptionem.

Quid sensuum facultates.

Olfactuum vero discernendi vires vim esse, quæ mentem superandi fragrantiæ diffusionem, quantum fas est, percipit, resque fœtidas perite discernit, et omnino refugit.

At aurium virtutes, id quod in eis est particeps cognitionis, divinamque scite suscipit inspirationem.

Gustandi autem potentias ipsis esse ciborum spiritalium satietatem, et divinorum atque deliciosorum rivulorum susceptionem.

Quid palpebræ, cilia, dentes, et cæteræ partes corporis.

Tactiles porro sensationes, id quod in eis res proficuas noxiasve cum scientia discernit.

Palpebras et supercilia, id quod intelligentias notionesque divini aspectus conservat.

Digitized by Google

Pubescentem ætatem ac juventutem, vim vitalem quæ semper viget.

Dentes, id quod alimenti adhibiti perfectionem dividit: quælibet enim essentia spiritalis uniusmodi intelligentiam, quam a diviniore traditam accepit, pro inferioris ductu captuque provida virtute dividit multiplicatque.

Humeros, ulnas, et manus, faciendi et agendi ac perpetrandi vim.

Cor autem esse symbolum vitæ deiformis, quæ vim vitalem suam deiformiter in ea quibus consulit dispertit.

Porro pectus dicamus designare virtutem indomabilem, et quæ vivificam quodammodo suppositi cordis distributionem tueatur.

Dorsum autem, illam vim quæ vitales omnes virtutes continet.

Pedes vero, vim movendi, celeritatem, et cursum sempiterni motus, quo ad divina cientur; propter quod etiam pennatos sanctarum intelligentiarum pedes Theologia finxit. Penna siquidem declarat ad sublimia ducendi velocitatem, et cælestis vitæ cursum, ad anteriora semper atque celsiora promoventem, et supera petendo, terrena fugientem: pennarum enim levitas designat id quod nulla ex parte terrenum est, sed se toto sine admixtione ac gravitate sursum fertur: nuditas vero calceorumque privatio, virtutem illam abstractam et expeditam, et puram ab omni externo additamento, quæ divinæ simplicitati, quantum fas est, assimilatur. *Quid pennæ.* Gen. 18. *Quid nuditas.*

Cæterum, cum rursus simplex illa et multiformis §. 4.

Digitized by Google

sapientia nudos quoque vestiat, et quædam iis vasa tradat circumferenda; agedum ipsa etiam sacra cælestium spirituum operimenta et instrumenta, prout possumus, explicemus.

Quid vestes diversæ. Ac lucidam quidem vestem igneamque, significare arbitror deiformitatem ex ignis similitudine, et vim illustrandi, propter cæli tranquillitatem, ubi lux est, et quod omnino spiritaliter illustrat et illustratur: Pontificiam autem, id quod ad divina mysticaque spectacula conducit, totamque vitam consecrat.

Quid zonæ. Zonas autem esse virtutum custodiam fœcundarum, earumque habitum collectum, qui in semetipsum singulariter conversus, circuloque concinno indissipabili identitate succinctus sit.

§. 5. *Virgæ.* Virgas vero designare Regiam et Ducalem dignitatem, rectamque rerum divinarum ordinationem.

Secures. Hastas et secures, vim dissimilia dividendi, virtutumque discernere valentium acumen, et activitatem, atque efficacitatem.

Et diversa instrumenta. Geometrica fabriliaque vasa, fundandi et ædificandi absolvendique facultatem, et quæcumque alia inferiores adducendi et convertendi providentiam concernunt.

Accidit quoque nonnumquam, ut instrumenta quæ sanctis Angelis affinguntur, divinorum erga nos judiciorum symbola existant, dum alia quidem correctricem disciplinam vindicemque justitiam, alia vero periculi liberationem, vel disciplinæ finem, vel pristinæ felicitatis restitutionem, aliorumve munerum, cum exiguorum tum magnorum, cum sensilium tum intellectualium adjectionem manifestant: neque vero

Num. 22. 2. Reg. 24. Apoc. 20. Amos 8. Zach. 3. Jerem. 24.

Digitized by Google

dubitavit ullo modo mens perspicax, visibilia proprie rebus quæ aspectum fugiunt accommodare.

§. 6. *Cur Angeli ventis comparati.* Dan. 7. Psal. 17. et 103.

Quod autem venti nominentur, hoc eorum celerem conficiendi rationem indicat ad omnia ferme absque mora penetrantem, susque deque ultro citroque quaquaversum permeandi facultatem, quæ inferiora quidem ad superiorem promoveat sublimitatem, prima vero moveat ad providum et communicantem se inferioribus illapsum. Possit etiam quis dicere ventosum illud nomen spiritus aerii, cælestium intelligentiarum deiformitatem designare: siquidem et illi divinæ efficacitatis imago quædam inest ac figura (sicut in symbolica Theologia, juxta mysticam quatuor elementorum explicationem, pluribus a nobis demonstratum est) nempe ob vivificam mobilitatem velocemque et insuperabilem meatum, nec non inaspectabile latibulum moventium principiorum ac terminationum. *Nescis*, enim inquit, *unde veniat, aut* Joan. 3. 8. *quo vadat.*

Cur nubibus. Apoc. 10.

Quin etiam eis Theologia nubis speciem affingit, hoc ipsos sacras intelligentias declarans arcano quodam lumine supermundialiter repletas, primilucam illam apparitionem sine fastu suscipere, atque luculenter eandem in inferiora per remissiorem illustrationem pro illorum captu transfundere, nec non illas insuper fæcunditate, atque animandi augendique ac perficiendi virtute præstare, propter intellectualis imbris generationem, quæ subjectum sibi gremium impinguantibus pluviis ad vitales partitudines informat.

§. 7. *Quid æs, electrum et lapides diversi.*

Quod si quoque æris et electri lapidumque multicolorum speciem Theologia cælestibus essentiis ac-

Digitized by Google

commodat: electrum quidem, ut quod auri argentique formam præ se ferat; in auro quidem, putredinis expertem et inconsumptum minuique nescium atque inviolabilem splendorem: in argento autem lucidam, cælestemque claritatem denotat.

Æri vero, juxta rationes assignatas, vel ignis vel auri species attribuenda.

Porro lapidum multicolores species, vel in quantum albæ, quid lucidum; vel qua rubræ, quid igneum, vel qua flavæ, quid aureum; vel qua virides, juvenile quidpiam ac vigens significare putandæ sunt: atque ita secundum quamque speciem quoque mysticam quandam typicarum imaginum, quæ ad superna revocet, reperias expositionem.

Sed quoniam de his satis a nobis pro virili parte dictum esse arbitror, ad sacram cælestium intelligentiarum per bestiarum formas expressarum explicationem transeundum est.

§. 8. *Quid forma leonis.* Ac leonis quidem forma declarare putanda est vim illam principalem ac robustam atque indomabilem, qua isti occultissimo ineffabilis divini principatus arcano pro virili similes evadere nituntur, spiritalium vestigiorum coopertione mysticeque suppresso pommeatu viæ, quæ ad ipsum per divinam illustrationem inducebat. Apoc. 4. Ezech. 1.

Quid bovis. Apoc. 5. Porro illa bovis forma earum robur signat ac vigorem, idque quo spiritales sulcos scindunt ac dilatant cælestibus fœcundisque imbribus suscipiendis: cornua vero, servatricem invictamque vim.

Quid aquilæ. Apoc. 4. At aquilæ figura Regiam dignitatem atque supera petentem celeremque volatum, et ad cibum, qui vi-

Digitized by Google

res reficiat, capiendum cum agilitatem, tum curam, tum facilitatem, tum virtutem robustis videndi facultatum intentionibus, libere directeque atque irretorte obtuendi uberrimo uti luculenteque radio, quem sol divinus evibrat. Ezech. 1. Apoc. 8.

Equorum autem species obedientiam designat et facilitatem: ac candidorum quidem, ingenuitatem, utpote divino quam maxime lumini cognatam; cæruleorum vero, secretum illud abditum; ruforum vero, igneum vigorem et efficacitatem; albo denique nigroque pilo aspersorum species, vim illam denotat, qua traducere extrema connectuntur, et prima secundis, ac secunda primis conversim provideque conjunguntur. *Quid equorum diversorum.* Zach. 7.

Verum nisi sermonis modum quæreremus, singulas etiam animalium recensitorum proprietates, omnesque corporeas eorum efformationes, non incongrue cælestibus virtutibus per dissimiles similitudines accommodaremus. Siquidem vim eorum irascibilem ad spiritalem fortitudinem, cujus ira novissimum vestigium existit; concupiscentiam vero, ad amorem divinum; ac summatim dicendo, sensus brutorum animantium omnes, partesque multiplices, ad immateriales cælestium essentiarum intelligentias atque uniformes virtutes referremus. Verum enim vero prudentibus non ista tantum, sed vel unius imaginis obscuræ mystica declaratio satis est, ad eorum quæ ejusdem generis sunt explanationem. *Quid ira.* *Quid concupiscentia.* Apoc. 20. Zach. 8. §. 9.

Considerandum modo quid sibi velint flumina, rotæ ac currus, quæ cælestibus essentiis adjuncta perhibentur. Ac flumina quidem ignea divinos illos *Quid, flumina, rotæ, currus.*

Digitized by Google

latices significant, largissimam illis ac perennem inundationis copiam suppeditantes, vitalisque fæcunditatis altores: currus autem, confœderatam æqualium societatem: rotæ vero alatæ, et ad anteriora irremeabili atque irreflexo motu tendentes, vim Angelicæ activitatis recto semper tramite pergentem, qua spiritalis eorum rotatus omnis ad viam illam rectam arduamque supermundialiter dirigitur.

Licet etiam alio sensu anagogico spiritualium rotarum descriptionem interpretari: est enim eis, ut Ezech. 10. Propheta ait, nomen inditum *Gel, Gel*, quod Hebraico sermone revolutiones revelationesque significat. Igneæ enim divinæque rotæ conversiones quidem suas habent, quod sempiterno motu circa idem summum bonum versentur; revelationes vero, quod occulta sacramenta revelent, et humiliores quosque promoveant, sublimesque divini fulgoris radios ad inferiores transfundant.

Quid rotarum revolutiones.

De cœlesti gaudio.

Reliqua nobis de cælestium distinctionum gaudio reddenda ratio est: etenim omnino incapaces sunt passibilis nostræ voluptatis; Deo autem congaudere perhibentur, ob eorum qui perierant inventionem, scilicet secundum Deiformem suavitatem, quam ex illorum, qui ad Deum convertuntur, cura saluteque percipiunt, et juxta benignæ copiam lætitiæ atque ineffabilis delectationis, cujus sæpenumero viri quoque sancti participes effecti sunt, cum in ipsos divinæ illius ac deificæ lucis fulgor influeret.

Hæc a me de sacris istis fictionibus dicta sint, quæ licet accuratam earundem explanationem minime attingant, multum tamen, ut opinor, conferent

Digitized by Google

intelligentiæ nostræ, ne fictis hujuscemodi imaginationibus immoremur.

Quod si objeceris, nos nequaquam omnium ex ordine, quæ Scripturis continentur, virtutum aut operationum imaginumve Angelicarum fecisse mentionem; respondemus id quod res est, nos quarundam supermundialem scientiam ignorasse, ac potius doctore ac illuminatore alio discendis iis indigere; quasdam vero, quod dictis æquivalerent, pertransire, cum orationis brevitati consulentes, tum arcana, quæ captum nostrum superant, silentio honorantes.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA

CAPUT I.

Sympresbytero Timotheo Dionysius Presbyter.

Quæ sit Ecclesiasticæ Hierarchiæ traditio, et quis sit ejus scopus.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. *Ecclesiasticam Hierarchiam descripturus monet, sacra Religionis Christianæ mysteria non temere profanis revelanda, sed baptizatis, pro cujusque captu ac modulo, clare, quoad fieri potest, explicanda esse ab iis quibus in Ecclesia cum docendi tum Sacramenta administrandi munus concreditum est, qui hoc in mundo Angelos imitantur.* 2. *Cum priori Libro Angelicam Hierarchiam descripserit, ait, nostram Hierarchiam num illa convenire in eo, quod inferiores a superioribus ad perfectionem instituantur, et ad Deum adducantur: differre autem in hoc, quod illi, ut simpliciori ac spiritaliori modo illustrentur; nos autem, cum anima corporeque constemus, et rebus spiritalibus immediate intendere nequeamus, per sensiles imagines ac figuras ad spiritales contemplationes surrigamur, unde etiam inæqualiter Deum participamus.* 3. *Definit, quid sit Hierarchia in genere, et quid sit hæc nostra Hierarchia, scilicet esse sacrorum omnium dispensationem, cujus principium sit SS. Trinitas; finis, unio cum Deo.* 4. *Ait, Deum tam nobis quam Angelis convenientem cuique Hierarchiam*

Digitized by Google

providisse, illis quidem magis spiritalem, nobis vero magis materialem; quippe cujus substantia sunt Scripturæ ac traditiones, quæ in symbolis et figuris res sacras nobis proponunt. 5. Ostendit, cur Sacramenta nostræ Hierarchiæ sub symbolis sensibilibus tradantur; quia nimirum id conditioni nostræ magis congruit, et ad rerum sacrarum venerationem facit, ne a profanis contemnerentur.

§. 1. *Scopus hujus Operis.*

Hierarchiam nostram, sacrorum filiorum sacratissime, Deo insitæ ac divinæ deificæque scientiæ, nec non affiationis et perfectionis esse functionem, ex supermundialibus et sacratissimis Oraculis demonstrandum nobis est iis, qui ex Hierarchicis mysteriis traditionibusque sacro sunt hoc munere initiati. Sed vide ne explodas Sancta sanctorum, quin potius arcana Dei revereberis, ac spiritalibus inaspectabilibusque notionibus celebrabis, inaccessa quidem profanis illa et intacta reservando, solis vero sanctis cum sacra quadam, uti fas est, claritate res sacras communicando. Sic enim, uti nobis divinis contemplatoribus tradidit Theologia, etiam ipsemet Jesus (divinitate transcendens ac superessentialis mens, universæ ordinationis sacræ, sanctimoniæque ac divinæ functionis principium et essentia, virtusque divinissima) beatis istis nobisque multo præstantioribus naturis manifestius simul et intelligibilibus affulget, et ad propriam, quoad fieri potest, eas lucem informat: quin et intento in eum amori nostro, et ad res nos probas incitanti, frequentes admiscet varietates, atque ad uniformem ac divinam nos vitam instituens, habitudinem quandam, et rerum, uti

Mysteria Christianæ Religionis solis Christianis revelanda.

Christus se Angelis clare in gloria, nobis obscure per symbola communicat.

Digitized by Google

par est, sacrarum effectricem divini sacerdotii virtutem impertitur; qua ad sacram Sacerdotii functionem accedentes, ipsimet etiam supremis istis spiritibus, sacri illorum status, quantum licet, imitando constantiam ac firmitatem, propinquiores evadamus, adeoque ad Jesu quoque beatam illam divinamque lucem aspicientes, sacro, quoad intueri fas est, ritu speculantes, visionum etiam, juxta mysticam scientiam, illustrati cognitione, consecrati ac consecrantes, luciformes ac deifici, perfecti ac perfectores evadere poterimus.

§. 2. *De Angelorum ordine vide librum de Cœlesti Hierarchia.*

Quisnam sit ergo sacer Angelorum et Archangelorum ordo, nec non supermundialium Principatuum ac Potestatum, Virtutumque ac Dominationum, et Thronorum divinorum æqualiumque Thronis naturarum, quas assiduo perpetuoque circa Deum et cum Deo versari Theologia tradit, Cherubim illas Hebræo vocabulo ac Seraphim appellans, ea quæ de sacris beatarum istarum mentium ordinibus ac distinctionibus a nobis conscripta sunt evolvendo, comperies; in quibus etsi non pro merito, pro virili certe nostra, et quoad sacratissimarum Theologia Scripturarum explanavit sacrum illarum ordinem concelebravimus. Illud tamen dicere necesse est, quomodo cum ille, tum omnis qui modo a nobis deprædicatur sacer ordo, unam habeat eandemque in omni sacra sua functione virtutem, ut et ipsemet sacri ordinis Antistes pro sui status, dignitatis atque ordinis ratione divinis initietur ac Deo uniatur, subditosque suos, pro cujusque dignitate, afflatæ sibi divinitus sacræ deificationis participes reddat; sic ut subditi superiores quidem sequantur, ita tamen ut et ipsi simul

In quo noster ordo Hierarchicus cum Angelis conveniat, et in quo discrepet.

Digitized by Google

inferiores ad anteriora promoveant, qui jam provecti aliis etiam pro virili ducatum præstent, atque hac divina sacraque ordinis consensione, pro modulo quisque suo, vere essentia sua pulcri, sapientis ac boni particeps existat.

Cæterum sublimiores istæ naturæ ordinesque, quarum venerandam supra feci mentionem, et incorporeæ sunt, et spiritalis ac supermundialis sacer illarum magistratus existit; nostrum vero cernimus, diversa ab ipsis ratione, sensibilium varietate signorum multiplicari, quibus sacrosancte ad uniformem deiformitatem pro captu nostro, et ad Deum divinamque virtutem promovemur. Istæ quidem, utpote mentes, prout illis fas est intelligunt; nos vero a sensu perceptis imaginibus ad divinas, quantum possumus, contemplationes sublevamur. Et ut vere dicam, unum quidem est, quod omnes qui deiformes sunt appetunt, ejus tamen, quod omnino unum atque idem est, non unimode participes existunt, sed prout cuilibet pro merito sortem divina trutina distribuit.

Verum ista in Opere de iis quæ sub intellectum ac sensum cadunt, fusius a nobis enucleata sunt; modo vero sacrum nostrum ordinem, ejusdemque originem et essentiam, quoad facultas suppetit, exponere conabor, omnium sacrorum ordinum principium ac consummationem invocans Jesum.

§. 3. *Quid sit Hierarchia seu sacer ordo in genere, et quid noster ordo sacer.*

Est Hierarchia seu ordo sacer omnis juxta venerandam nobis sacrosanctam traditionem, universalis rerum sacrarum illi subjectarum ratio, seu generalissima eorum, quæ sub ordinem cadunt, id est sacrorum, summa. Sacer igitur ordo noster dicitur et

Digitized by Google

est functio, universa sacra in se complectens, qua divinus Pontifex initiatus, omnium per se rerum sacratissimarum particeps existit, in quantum Sacerdos summus appellatur. Sicut enim qui sacrum ordinem nominavit, omnium simul compendio sacrorum dixit dispensationem; ita qui summum Sacerdotem appellat, Deo intime unitum ac divinum plane virum significat, omni sacra cognitione perpolitum, in quo omnis, quæ illi inest, potestas sacra consummatur atque cognoscitur. Hujus origo sacri principatus fons est vitæ, essentia bonitatis, una rerum omnium causa Trinitas, ex qua per bonitatis redundantiam et ipsum esse, ac bene esse rebus. Huic autem omnia transcendenti divinissimæ beatitudini, trinæ unitati, vere existenti, modo quidem nobis incomprehenso, ipsi autem notissimo, in votis quidem est rationalis (creaturæ) salus, tam nostra quam mentium supernarum: verumtamen hæc salus iis qui salvantur non nisi jam deificatis potest obtingere. Est autem hæc deificatio, Dei quædam, quoad fieri potest, assimilatio unioque. Omni porro ordini sacro communis scopus est, erga Deum et res divinas continua dilectio, quæ divinitus inseritur, et per ejus unionem consummatur, quæque hac prior est, illi adversantium omnimoda et irrevertibilis fuga, cognitio rerum qua res sunt, sacræ veritatis visio scientiaque, simplicis perfectionis ejus qui summe simplex est, divina participatio; fruitio intuitionis, quæ omnem sui contemplatorem spiritali modo reficit deificatque.

Origo Hierarchiæ est Ss. Trinitas.

Quis sit scopus Hierarchiæ.

§. 4.

Dicimus itaque, Dei principalem beatitudinem, quæ natura Deitas est principium deificationis, ex quo il

Deus tam nobis

Digitized by Google

quam Angelis convenientem cuique Hierarchiam dedit.

qui deificandi sunt, deificantur, divina bonitate sacrum ordinem, in salutem et deificationem omnium, cum rationalium tum spiritalium essentiarum, concessisse. Ac superis quidem beatoque otio fruentibus, modo magis immateriato ac spiritaliori (non enim extrinsecus eos Deus ad divina movet, sed intelligibili ratione, atque intrinsecus pura liquidaque illustratione divinissimam iis voluntatem irradiando) nobis autem, quod simplicius illis collectimque præstitum, ex divinitus traditis eloquiis, pro captu nostro, divisibilium varietate multitudineque signorum donatum est. Substantia enim Hierarchiæ nostræ sunt divinitus tradita Oracula. Maxime vero ista Oracula dicimus veneranda, quæ a sacris nostris Initiatoribus divino spiritu afflatis, in Scripturis sacris librisque Theologicis tradita nobis sunt; uti et illa; quæ ab iisdem viris sanctis subtiliori, non omnino discita ab ordine cælesti insinuatione, de mente in mentem, mediante verbo, corporeo quidem illo, simul tamen immateriato, sine scriptione, institutores nostri sacra quadam traductione sunt edocti. Neque vero ista divino spiritu afflatorum sacrorum Præsulum monumenta, in sacri ordinis commune bonum, propatulis intelligentiis, sed symbolis quibusdam sacris traducta sunt; non enim quilibet Sacerdos, neque omnium, ut Eloquia tradunt, scientia est.

Substantia Hierarchiæ nostræ est verbum Dei, cum scriptum, tum traditum.

§. 5.

Cur Sacramenta nostræ Hierarchiæ in

Necessario igitur primi sacri ordinis nostri moderatores, supersubstantialis Dei principatus sacro ipsi munere pleni, et in posteros illud ipsum derivatum a divina bonitate missi, cum et ipsi, utpote divini, promotionem deificationemque posterorum affatim de-

Digitized by Google

siderarent, sensibilibus figuris supercælestia, et quod unitate collectum est varia cum distinctione tum multitudine, nec non in humanis divina, et in materiis immateriata, atque in nostratibus rebus supersubstantialia, qua scriptis qua non scriptis institutionibus, in sacratissimis Oraculis nobis tradiderunt: nec id propter profanos tantum, quibus vel ipsa signa tangere nefas sit, sed quod noster, ut dixi, sacra ordinandi ritus, cum illorum comparatus, symbolicus existat, sensilibus signis opus habens, ad diviniorem nostri ex illis ad intelligibilia sublimationem. Attamen manifestæ simul sunt Sacerdotalibus signorum rationes, quas sacrorum etiamdum candidatis explanare nefas, quod exploratum sit, sacrorum divinitus traditorum Legislatores, stabilibus atque impermixtis ordinum distinctionibus, cujusque merito accomodatis, disparilibus ac sacris partitionibus sacrum ordinem distribuisse. Quapropter tui etiam ipsius sacrosanctis pactionibus persuasus (earum enim meminisse sanctum) Episcopatus quidem ordinem, ut cæteris præstantiorem, nequaquam alteri communicabis, præterquam tui similibus deiformibus Sacerdotibus: ipsisque persuadebis, ut juxta ritum hierarchicum profiteantur, sancta quidem sancte contrectare, solis autem deifica divinis, perficentia perfectionis capacibus, sanctisque sanctissima communicare: nam præter alia sacrorum ordinum munera, hoc quoque divinum tibi munus demandamus.

sensibilibus symbolis tradantur.

Sacerdotibus nostræ Hierarchiæ symbola patere.

Hierarchia cuique sacra pro meritis communicat.

Digitized by Google

CAPUT II.

I. De iis quæ in illuminatione seu baptismo peraguntur.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prima parte capitis ostendit, quo ordine perveniatur ad vitæ sanctitatem, et quomodo Baptismus sit quædam nativitas spiritalis, atque principium operum supernaturalium, et simul monet, solos sanctos ad Sacramentorum aspectum esse admittendos.

Secunda parte describit solemnem ritum baptizandi, qui sic habet: 1. Pontifex sacra promulgat Evangelia. 2. Religionis amator patrinum seu susceptorem quærit, a quo instructus ad Episcopum adducitur. 3. Hic benigne ipsum excipit. 4. Clerum convocat ad agendas Deo gratias, et a patrino adductum solemni formula interrogat. 5. Infidelitatem detestanti manum imponit, et inscribi jubet. 6. Facta precatione baptisandus exuitur, et fiunt insufflationes. 7. Fit solemnis professio Fidei, et baptizatur. 8. Veste candida amictus traditur susceptori, et sacræ communionis particeps efficitur.

Tertia parte subjungit contemplationem, in qua. 1. Ostendit, ritum hunc esse sanctum. 2. Cærimonias istas signare gratiam spiritalem. 3. Deum gratiam suam omnibus communicare. 4. Exponit quo ordine perveniatur ad perfectionem. 5. Quid sibi velit adductio et inscriptio baptizandi, quid item abrenuntiatio. 6. Quid ad Orientem tractio. 7. Quid unctio. 8. Quid in aquam immersio et emersio? 9. Quid candidum vestimentum. 10. Quid unctio finalis. 11. Quid communio.

§. 1. *Sanctitas acquiritur* Dictum itaque a nobis est sancte, sacri ordinis nostri scopum esse Dei, quoad ejus fieri potest, assimila-

Digitized by Google

tionem atque unionem. Hanc autem, ut divina Scripta tradunt, maxime observandorum dilectione mandatorum sacrisque functionibus duntaxat consequemur: *Qui* enim, inquit, *diligit me sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Quodnam est igitur initium sacrosanctæ augustissimorum observationis mandatorum? Ea quæ ad cæterorum cum sermonum tum operum sacrorum quam expeditissime nostras animales efformat affectiones, quæque nobis ad supercælestis otii fruitionem viam sternit, sacrosanctæ (inquam) ad divinissimæ regenerationis nostræ traditio. Ut enim inclytus Præceptor noster ait, prima quidem mentis ad divina motio, Dei est dilectio: sacræ vero dilectionis in sacrosancta divinorum præceptorum observatione progressus primus, est ineffabilissima divini nostri status fabricatio.

mandatorum observatione.

Joan. 14. 23.

Baptismus dat initium sanctitatis.

Cum enim divinus hic status sit quædam nativitas divina, numquam sane intellexerit, nedum fecerit, quidquam rerum divinitus traditarum, cui ne ipse quidem status hic divinitus afflatus sit. An non et nobis (humano modo loquimur) existentia primum opus est, ut deinde quæ nostri fori sunt tractemus, cum quod nullo modo est, neque motionem neque substantiam omnino habeat, quod autem quoquo pacto est, ea tantum et agat et patiatur quæ naturæ statusque sunt sui? Atque hoc quid, ut opinor, perspicuum est, Cæterum divina divinæ generationis signa contemplemur. At nemo mihi profanus spectatum veniat: neque enim debilibus pupillis sole irradiatis obtueri tutum, neque nobis superiora tentare

Quo ordine sanctificemur.

Sacra non nisi a dignis frequentanda.

Digitized by Google

innocuum sit; quandoquidèm vera illa legalis Hierarchia, Oziam quidem sacris, Core vero se dignioribus ingerentem, Nadab denique et Abiud suis muneribus non rite functos, detestetur.

II. SACRAMENTUM Illustrationis, sive Baptismi.

§. 1. *Ritus collationis Baptismi.*

Sacrorum Præsul, cum omnes sigillatim homines ad Deum assimilatione salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire cupiat, prædicat omnibus ex veris Evangeliis, Deum ipsum terrigenis, propria sua naturalique bonitate propitium, ad nos pro humanitate summa descendisse, ut sui unione, in morem ignis, unita sibi conformaret, quantum ad eorum conduceret deificationem. *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.*

Joan. 1. 12.

§. 2. *Candidatus Religionis patrinum quærit.*

Officium patrini seu susceptoris.

Quisquis autem horum munerum vere supermundialium sancte particeps esse cupit, accedens quempiam sacris initiatum, flagitat ab eo ad sacrorum Præsidem manuduci, nec non integre cunctis sanctionibus obsequi pollicetur, rogatque, suæ cum admissionis tum totius exinde vitæ curam suscipere ne recuset. Tum hunc, salutis quidem illius sancte cupidum, sed rei celsitudinem humanæ fragilitati opponderantem, horror illico anxietasque circumdant: verumtamen benevole tandem simul petitioni ejus satis se facturum annuit, ipsumque suscipiens ad summum ducit Sacerdotem.

Digitized by Google

§. 3. *Quid a Sacerdote baptizaturo fieri soleat.*

Is autem cum lætitia, non secus atque humeris ovem, duos illos viros excipiens, spiritali primum actione gratiarum, corporisque adoratione, unicum, a quo vocanda vocantur, ac salvanda salvantur beneficum principium veneratur.

§. 4.

Omnem deinde sacrum ordinem, cum ut hominis saluti cooperentur atque congaudeant, tum ut divinæ bonitati gratias agant, in sacrum locum cogens, initio quidem Hymnum aliquem e Scripturis una cum universo Ecclesiæ Clero decantat; quo finito, ubi sacrum altare deosculatus est, ad virum, qui præsens est, accedit, et quid petitum venerit sciscitatur.

§. 5. *Baptizandus abjurare debet infidelitatem.*

Tum ipsum, juxta instructionem fidejussoris, infidelitatem pristinam, verique boni ignorationem, nec non vitæ spiritalis privationem detestantem, atque sancta ejus intercessione Dei divinorumque compotem fieri postulantem, præmonet, integre illi ad Deum accedendum esse, utpote prorsus perfectum et immaculatum: propositaque divine vivendi norma, nec non interrogato num ex ea victurus esset, assentienti manum capiti imponit, et consignans eum, Sacerdotibus mandat, ut virum susceptoremque describant.

§. 6. *Insufflationis et abrenunciationis ritus.*

Quibus adscriptis, sacram infit precationem: qua una cum ipso ab universa congregatione completa, illum discingit, et per ministros exuit. Sistens exinde ipsum ad Occidentem prospectantem, manusque versus illam plagam aversas protrudentem, tertio Satanam insufflare jubet, atque insuper abrenunciationis verba proferre: eique ter abrenunciationis solemnibus verbis propositis, cum eandem toties con-

Digitized by Google

ceptis verbis pronunciavit, ipsum ad Orientem transfert, et in cælum intuentem, manusque attollentem, Christo cunctisque sacris a Deo traditis Eloquiis jubet assentire.

§. 7. *Ritus professionis.* Quo facto, trinam illi denuo præcipit professionem, tertioque professum benedicendo recipit, eique manum imponit. Dum vero ministri penitus eum exuunt sacrum Unctionis oleum adferunt Sacerdotes. Pontifex vero trino signaculo inchoans Unctionem, Sacerdotibus hominem tradit toto corpore inunguendum; ipse autem ad adoptionis matrem (id est Fontem) vadit; cujus aquas postquam sacris invocationibus sanctificavit, nec non tribus sacratissimi unguenti Crucis forma affusionibus, totidem sacri unguenti appositionibus sacrosanctum Deo afflatorum Prophetarum divinæ adspirationis Hymnum concinendo, consecravit, adduci virum jubet; ac Sacerdote quopiam e scripto cum ipsum tum susceptorem proclamante, initiandus Sacerdotum manibus in aquam ducitur ad manum Pontificis: qui superne adstans, ubi Sacerdotes secundum aquas, versus Pontificem initiandi nomen proclamarunt, ter eum immergit, sub ternam istam immersionem atque emersionem tres divinæ Beatitudinis personas invocando. Tunc excipientes eum cæteri Sacerdotes, tradunt susceptori seu admissionis auctori, et ubi una cum eo initiatem veste congrua amiciverunt, rursus illum ad Pontificem ducunt: qui divinitus sacrato oleo virum consignans, sacrosanctæ Eucharistiæ participem declarat.

Ritus antiquus baptizandi solenniter.

§. 8. His rite peractis a suo ad secunda progressu, ad rerum iterum præcipuarum exigitur contemplatio-

Digitized by Google

nem, ne ullo tempore vel modo quidpiam a suis institutis tractet alienum, sed assidue perpetuoque divini Spiritus ductu a divinis ad divina transformetur.

III. CONTEMPLATIO.

§. 1. *Ritum hunc esse sanctum.*

Hæc in sacris symbolis divinæ generationis initiatio nihil indecori vel profani, quin nec sensiles figuras continet, sed Deo dignæ contemplationis ænigmata in naturalibus ad captum hominum speculis effigiata. Quid enim ei defuisse videatur, diviniori etiam mysteriorum silentio suppressa ratione, cum divina institutione satis probet accedentis, quam sancte operatur, vitæ integritatem, et per vitam probam ac divinam, universæ simul malitiæ perpurgationem, naturali emundatione aquæ, corporalius ipsi denuntiet? Ut itaque symbolica initiationum traditio nihil hoc divinius haberet, nequaquam, ut reor, expers esset sanctitatis, cum et recte vivendi disciplinam introducat, et omnimodam in vitiis transactæ vitæ emundationem, toto corpore aqua penitus perpurgato, naturaliter insinuet.

Cærimoniæ Baptismi significant expiationem.

§. 2.

Verum sit hæc quidem rudioribus introductio spiritalis, quæ et Sacramenta sancta atque unitiva, uti fas est, a promiscuis distinguat, et singulis ordinibus accommodatam concinnet sublimationem: nos autem, cum sacris ascensionibus Sacramentorum principia contemplantes, sacro eadem afflatu perceperimus, cognoscemus quorum characterum sint effigies, et quarum rerum occultarum imagines existant. Ut enim in Opere de Intelligibilibus ac sensilibus per-

Digitized by Google

Sacramenta sunt signa sensilia gratiæ spiritalis.

spicue declaratum est, sensibilia Sacramenta, simulacra sunt intelligibilium, ad quæ manuducunt ac viam sternunt; intelligibilia vero, Sacramentorum sensibilium principium sunt atque scientia.

§. 3.

Deus gratiam suam omnibus expandit, ut sol lumen.

Dicimus itaque, divinæ beatitudinis bonitatem, eamdem semper et eodem modo se habentem, beneficos lucis suæ radios cunctis oculis mentalibus abundanter expandisse; adeoque si spontanea mente præditorum arbitrii libertas spiritale lumen deserat, a natura sibi insitas luci excipiendæ vires amore pravi præcludens, præsenti quidem luci se subducit, hæc tamen eam minime destituit, sed vel conniventem illuminat, atque aversanti benigne prorsus occurrit. Quod si mediocri instructa videndi facultate terminos transilierit, radiisque visum superantibus temere ausa fuerit obtueri, lux quidem nihil a se alienum faciet, verum ipsa perfectis imperfecte se ingerens, aliena neutiquam assequetur, mediocritate porro sua insolenter superbiens, sua culpa frustrabitur. Benigne tamen, ut dixi, divina lux mentalibus semper oculis patet, ejusdemque præsentis, et ad Deo dignam sui semper communicationem paratissimæ, copiam habere licet. Ad hujus imitationem divinus Antistes effingitur, lucidos divinæ eruditionis radios super omnes luculenter explicans, et se accendentem Dei imitatione illuminandi promptissimus, nulla utens objurgatione, vel dira propter priorem defectionem vel intemperantiam imprecatione, sed exemplo Dei, ad se accedentibus suis semper illuminationibus Pontificaliter affulgens cum decore atque ordine, et pro cujusque ad sacra capacitatis ratione.

Hierarcha quoque omnibus lumen Baptismi paratus est impertiri.

Digitized by Google

§. 4. *Quibus gradibus ad perfectionem veniatur.*

Sed quoniam divinum Numen sacræ disciplinæ principium existit, qua sanctæ mentes in sui deveniunt cognitionem; quisquis ad insitum naturæ lumen recurrerit, principio quidem quis tandem ipse sit videbit, hocque lucis accessione munus sacrum referet: porro qui propria sua recte irreflexis oculis considerarit, abditas quidem ignorationis sui tenebras eliminabit, perfectissimæ tamen Dei unionis et participationis adhuc exors, ejusdem desiderio sponte non afficietur; sed sensim primum a propriis ad potiora, et ex iis ad potissima, nec non perfectus jam in ordine, ad principalem Dei celsitudinem sacro quodam modo evehetur. Hujusce venusti sacrique ordinis argumentum est, accedentis verecundia, rerumque ad se spectantium cognitio, ad summum Sacerdotem viæ ducem nacta susceptorem. Sic adductum, divina Beatitudo ad sui admittit communicationem, propriâque lucis, instar signi cujusdam, ipsum participat, Deo intimum reddens, ac consortem munerum divinorum, atque ordinis sacri; quorum sacra est tessera, summi Sacerdotis accedenti datum signaculum, nec non salutaris descriptio Sacerdotum, salvandis eum aggregans, atque sacris inserens monumentis una cum susceptorem, tamquam salutiferæ ad veritatem viæ: illum quidem, amatorem sincerum ad comitem ductoris divini; hunc vero minime errabundum divinitus traditis institutionibus sequendis manuductorem.

§. 5. *Quibus renunciandum*

Cæterum non licet summe contraria simul participare, neque communicationem aliquam cum uno habenti divisas habere vitas, si unius stabilem præ-

Digitized by Google

sit ad perfectionem aspiranti.

ferat participationem; sed exortem esse decet expertemque omnium uniformitatis divisionum: id quod signorum traditio sacra innuit, dum accedentem priori quodammodo vita exuens, et ad extremos usque affectus expolians, nudum et discalceatum statuit versus Occidentem spectantem, nec non manuum rejectione tenebricosæ malitiæ communionem abnuentem, atque agnatum sibi dissimilitudinis statum quodammodo efflantem, totalesque professionem deiformitati adversantium abrenunciationes. Sic omnino ipsum affectus jam expertem exortemque traducit ad Orientem, divinæ lucis statum illi aspectumque, omnimoda malitiæ fuga, fore purum annuncians; ipsumque sacrosanctis, cum uno totali conspiratione, professionibus uniformem effectum, vere amanter suscipiens. Verum, ut opinor, sacrorum peritis principiorum perspectum est, assiduis ad unum connitendo adspirationibus, atque totalibus contrariorum mortificationibus et abolitionibus, res spiritales status deiformis immutabilitate potiri. Non enim ab omni dumtaxat malitia est recedendum, sed obduradum viriliter, et imperterrite semper obsistendum ipsi noxii remissioni; nec a sacro est umquam amore cessandum, sed continenter ac perpetuo pro viribus illi insistendum, ad perfectiorem divini principatus sublimationem sancte semper negotia sua dirigenti.

Quid traductio ad Orientem designet.

§. 6. *Quid unctio designet.*

Horum autem exactas cernis in iis quæ Pontificaliter administrantur imagines: ipse siquidem Antistes deiformis sacram auspicatur Unctionem, quam cæteri exinde Sacerdotes consummant, ad sacra per figuram hanc certamina initiatum excitantes sub

Digitized by Google

Christo munerario constitutum, qui videlicet ut Deus certaminum exhibitor, ut sapiens legum præceptor, præmiorum denique victoribus convenientium ut pulcher munerator existit. Et quod his divinius est, cum in ipsismet pugilibus ut bonus extiterit, sacramentaliter pro illorum libertate atque victoria, mortis ac corruptionis imperium debellando, in certamina quidem gaudens, utpote divina, initiatus ascendet, legibus autem sapientis insistet, juxtaque illas inviolate certabit, illustrium præmiorum certa spe fultus, sub bono certaminum exhibitore domino ac ductore constitutus; divinisque insistendo vestigiis ipsius pugilum primatis per probitatem, ad imitationem Dei certaminibus deificationi suæ adversantes spiritus atque suggestiones supplantando, commorietur Christo (id est) mystice loquendo, peccato, per Baptismum.

Quid aquæ immersio et emersio.

Attento hic animo perpende, Sacramenta quam propriis involuta sint signis. Etenim cum in nobis mors non sit, ut quibusdam placet, substantiæ abolitio, sed conjunctarum partium separatio, ad id quod nos latet abducens, animam quidem, quasi corpore perpetuo privandam, corpus vero, velut humo abditum, alia quapiam alteratione corporea, ex humana specie exterminandum; non improprie totalis ista aquæ coopertio in mortis atque informis sepulturæ figuram accipiatur. Sacramentaliter itaque baptizatum symbolica disciplina mystice docet tribus illis in aquam immersionibus et emersionibus divinam trium dierum ac noctium sepulturæ Jesu vitæ auctoris mortem imitari, quatenus hominibus con-

Digitized by Google

ceditur ejus imitatio, in quo, juxta mysticam et arcanam Scripturæ traditionem, princeps hujus mundi non invenit quidquam.

§. 8. *Quid candidum vestimentum.*

Candidis deinde vestimentis induunt initiatum: virili enim ac deiformi pravorum affectuum vacuitate, nec non intenta in unum animi affectione, cum id quod ornatu carebat ornatur, tum id quod deforme erat pulchrum efficitur, dum illustri omnino vita splendescit. Denique unguenti illa consummans unctio eum qui initiatur odoris suavitate perfundit: sacra enim divinæ generationis initiatio, ea quæ initiata sunt divino Spiritui conjungit. Porro illapsum illum, qui spiritalem istam odoris suavitatem adfert, cum sit prorsus ineffabilis, spiritaliter relinquo cognoscendum iis qui secundum mentem sancta et deifica divini Spiritus communione digni sunt habiti. Demum omnibus peractis, eum qui initiatus est ad sanctissimam Eucharistiam vocat, et mysteriorum perficiendi vim habentium communionem illi tradit.

Quid unctio finalis.

CAPUT III.

De iis quæ in Synaxi perficiuntur.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prima Capitis parte ait, Sacramentum Venerabilis Eucharistiæ esse cæterorum Sacramentorum consummationem, et præ cæteris Synaxin *dicit atque* Communionem, *quod singulari ratione nos Deo conjungat uniatque.*

Secunda parte describit ritum et ordinem, quo antiquitus Sacramentum Eucharistiæ consecrari et sumi solet, et quibus præsentibus et exclusis sacrificium fiebat.

Digitized by Google

Tertia parte subjungit Contemplationem, in qua mystice, explicat. 1. *Quid in Sacro sibi velint sacra cantica et lectiones; quid panis et calicis participatio.* 2. *Invocat Venerabile Sacramentum.* 3. *Exponit, quomodo Deus in se immutatus, se omnibus communicet; et quomodo Pontifex Deum imitetur, inferioribus sacra ministrando.* 4. *Quid sacræ Scripturæ libris contineatur.* 5. *Quomodo Psalmi et Scripturæ animum componant.* 6. *Qui, et qua de causa, a Venerabili Sacramenti aspectu et communione arceantur: et quis ordo inter illos.* 7. *In quo sita sit impuritas energumenorum et peccatorum, et quomodo, exclusis profanis, viri sancti Venerabile Sacramentum laudent.* 8. *Quid pacis osculum significet.* 9. *Quid commemoratio Sanctorum.* 10. *Quid ablutio extremorum digitorum Sacerdotis. Quid elevatio Venerabilis Sacramenti.* 11. *Describit calamitates in quas homo incidit per peccatum, et quanta sit Dei in reparando homine benignitas.* 12. *Sacrificium esse commemorationem Passionis Christi; et quis sit finis sacræ Communionis.* 13. *Quid divisio et distributio Sacramenti insinuet.* 14. *Qualiter gratiæ agendæ post Communionem, et cur Sacerdos se ipsum communicet ante alios.* 15. *Finalis gratiarum actio.*

Sed euge, quoniam hujus mentionem fecimus, ea prætermissa nefas sit aliam functionem Hierarchicam præ hac celebrare: nam ex inclyti præceptoris nostri sententia, Sacramentum Sacramentorum existit, oportetque sacræ ejus descriptionis interpretem secundum Scripturas, ex divina Hierarchicaque scientia, per Dei principalem spiritum ad sacram ejus adduci contemplationem.

Eucharistiæ Sacramen-

Primum itaque illud sancte videamus, quam ob causam id, quod præcipuis quoque aliis Sacramentis

Digitized by Google

tum cur Communio et Synaxis dictum.

commune, et huic per excellentiam præ cæteris sit attributum, ut singulariter Communio et Sinaxis appelletur; cum unumquodque Sacramentum divisas quoque vitas nostras ad uniformem colligat Deificationem, atque Deiformi dissitorum coagmentatione cum illo uno communicet uniatque. Dicimus igitur, cæterorum Hierarchicorum symbolorum participationibus, ex divinis hujus perfectivisque muneribus accedere consummationem. Vix enim fas sit ullam Hierarchici muneris obire functionem, nisi divinissima Eucharistia, cujuslibet initio consecrationis, initiandi cum illo uno perficiat conjunctionem, divinitusque tradito consummantium mysteriorum dono divinam ipsi conferat communionem. Quare, si quælibet Hierarchicarum consecrationum imperfecta manet, dum nostri cum illo uno communionem unionemque non perficit hoc ipso quod non perficitur perficiendi vim amittens; finis autem omnium est et caput, ut eum qui initiatur, præcipuorum Dei mysteriorum participem efficiat, jure merito Pontificalis scientia proprium illi a rerum veritate nomen adinvenit: ita quoque sacram divinæ regenerationis initiationem, quod primam lucem conferat, omniumque divinarum illustrationum principium existat, ex effectu vero illustrationis nomine celebramus. Quamvis enim etiam aliis Hierarchicis functionibus commune sit, eos qui initiantur sacræ lucis consortes facere; attamen hæc illa est quæ primum mihi visum impertivit, perque illius lucem principaliorem ad cætera quoque sacra contuenda lumen accipio. His ita constitutis, consideremus et

Baptismus cur illuminatio dicatur præ ceteris Sacramentis.

Digitized by Google

intueamur, more Hierarchico, quemlibet exactum SS. hujus Sacramenti ritum et significationem.

II. MYSTERIUM
Synaxeos seu Communionis.

Ritus consecrandi Synaxin.

Pontifex precem sacram ad altare Dei celebraturus, ab ejusdem suffitione initium faciens, universum circuit Chori ambitum; donec rursum ad altare divinum rediens, sacrum infit Psalmorum melos, omni ordine Ecclesiastico sacram ipsi psalmodiam succinente. Per ministros exinde consequenter sacrarum Scripturarum lectio recitatur: qua finita, sacro ambitu arcentur Catechumeni, et cum iis energumeni ac pœnitentes, illis qui divinorum aspectu et Communione digni sunt remanentibus. Porro ministrorum quidem alii clausis Templi foribus assistunt, alii vero aliud quidpiam quod sit ordinis sui agunt. Qui autem in ministrorum ordine primas tenent, una cum Sacerdotibus divino altari panem sacrum calicemque benedictionis imponunt, ab universa plenitudine Ecclesiæ communi hymnologia præmissa. Ad hæc divinus Pontifex sacram peragit precationem, sanctamque cunctis pacem apprecatur: et dum omnes invicem amplexantur, mystica sacrorum voluminum recitatio finitur. Tum lotis aqua manibus Pontificis ac Sacerdotum, Pontifex divini altaris medio assistit, circumstantibus illum solis ministrorum primoribus una cum Sacerdotibus. Porro ubi Pontifex sacrosancta Dei munera collaudavit, divinissima consecrat mysteria, quæ etiam celebrata

Digitized by Google

sub symbolis sacrosancte propositis in aspectum ducit; exhibitisque divinorum operum muneribus ad sacrosanctam eorumdem communicationem cum ipsemet accedit, tum cæteros invitat. Accepta denique dataque divina Communione in sacram desinit gratiarum actionem; populoque divina tantum symbola contuente, ipse semper Spiritu divino, per beatas ac spiritales contemplationes, hierarchice ad sacrosancta mysteriorum primordia in divini status puritate ducitur.

III. CONTEMPLATIO.

§. 1. Agedum ergo, probe fili, post figuras ordine sancteque digestas, Deiformem primigeniorum veritatem iis qui adhuc initiantur declarabo, ad eorum animos congrue excitandos; ne diversa illa symbolorum sacra compositio ipsis * insipida existat, si exteriorem tantum apparatum præ se ferat. Ac sacratissima quidem Eloquiorum cantica et lectiones probæ ipsis innuunt vitæ disciplinam, et quæ hanc præcedit, omnimodam corruptæ pravitatis expiationem: divinissima vero unius ejusdemque cum panis tum calicis communis ac pacifica participatio, divinam iis morum conformitatem, tamquam connutritiis, præscribit; nec non cœnæ divinissimæ atque archisymbolæ mysteriorum horum sacrosanctam introducit commemorationem: cujus etiam ipsemet symbolorum auctor jure meritissimo exortem facit eum, qui neque sancte neque animo concordi sacram secum cœnam frequentarat; docens simul sancte Deo-

Inutilis.

Quid sacra cantica et lectiones.

Quid panis et calicis participatio.

Digitized by Google

que consentanee synceri ad divina animi accessionem, similitudinis quoque divinæ participes efficere sic accedentes.

§. 2.

Cæterum his, quæ adytorum vestibulis eleganter appicta rudiorum contemplationi satis sunt, relictis, ab effectis ad causas progrediemur, deinde sacram nostram Synaxin, atque consentaneam rerum spiritalium, Jesu prælucente, contemplationem conspicabimur, beatam primitivorum pulchritudinem præclare prorsus evibrantem. Sed tu, o divinissimum ac sacrosanctum Sacramentum, circumposita tibi symbolice ænigmatum operimenta revelans, liquido nobis manifesteris, mentalesque nostros obtutus singulari et aperta luce adimpleto.

Precatio ad Venerabile Sacramentum.

§. 3.

Sancta itaque nobis penetranda censeo, ut, intelligentia primi simulacri spiritaliter detecta, deiformem ejus pulchritudinem intueamur, nec non Antistitem divino prorsus modo videamus a divino altari ad extremitates usque templi cum odoris suavitate prodeuntem, adque illud ipsum perficiendi Sacri causa revertentem. Summa siquidem illa Deitas, quæ beatitudine cunctis antecellit, etsi divina benignitate ad participum sui sacrorum prodeat communionem, nequaquam tamen a naturæ suæ stabili firmoque statu discedit, sed dum omnibus qui divinam similitudinem præ se ferunt pro cujusque captu collucet, secum vere manet, neque quidquam ab identitate sua dimovetur: simili ratione divinum illud Synaxeos Sacramentum, quamvis singulare habeat ac simplex compactumque principium, quod symbolorum varietate benigne multiplicetur, et ad omnem

Deus in se immutatus se aliis communicat;

ita etiam Venerabile Sacramentum;

Digitized by Google

Deiprincipalem se extendat effigiationem; uniformiter tamen ad propriam se denuo colligit unitatem, atque in unum redigit eos qui ad se sancte ducuntur.

Ita quoque Pontifex suo modo.

Pari prorsus eoque deiformi modo divinus Pontifex, etsi singularem divini principatus sui scientiam in subditos benevole derivet, dum ænigmatum sacrorum varietatibus utitur; rursus tamen, ceu absolutus a rebus inferioribus ac liber, ad proprium principium suum integre revertitur, spiritalique suo in unum introitu perfecto, singulares istas Sacramentorum rationes pura mente cernit dum benigni humanique sui ad inferiora progressus finem diviniorem ad prima facit reversionem.

§. 4. Quid Scripturæ lectiones. Argumenta librorum sacræ Scripturæ sunt: Genesis, Exodus, Leviticus, Deuteronomion, Iosue, Proverbia, Ecclesiasticus. Cantica, Propheta, Evangelia, Acta

Psalmorum porro sacra modulatio, quæ mysteriis hierarchicis fere omnibus quasi substantialis conjungitur, ab omnium sanctissimo nequaquam erat divellenda: omnis namque sacræ Scripturæ textus vel conditam a Deo rerum substantiam ac dispositionem, vel legalem Hierarchiam ac politiam, vel hereditatum divini populi distributiones ac possesiones, vel sacrorum Judicum Regumve sapientium atque Sacerdotum divinorum prudentiam, vel priscorum virorum in tristium varietate ac multiplicitate casuum inconcussam tolerantiæ philosophiam, aut sapientes rerum gerendarum præceptiones, vel amorum cantica divinorum imaginesque divinas, vel præsagas futurorum prædictiones, vel viriles Jesu Dei operationes, ejusdemque Discipulorum divinitus tradita et ad Deum imitandum conducentia vitæ instituta doctrinasque sacras, arcanamve illam mysticamque visionem Discipuli dilecti divinique, atque supermundialem Jesu

Digitized by Google

Theologiam iis qui divinitatis capaces sunt exposuit, sacrisque cum Sacramentorum tum ad Dei formam consequendam aptis institutionibus confirmavit. Sacra vero divinorum carminum descriptio, cui cuncta Dei opera eloquiaque celebrare, nec non sacros virorum divinorum cum sermones tum actiones collaudare propositum est, generalem introducit rerum divinarum cantum et expositionem, dum ad omnia sacri ordinis Sacramenta, sive suscipienda sive tradenda, aptum illis animum adfert qui ipsum divine ac sancte recitant.

Apostolorum, Apocalypsis.

Ubi ergo illa quæ res quasque sacras complectitur hymnorum modulatio animæ nostræ affectiones, et ea sacra quæ paulo post celebranda sunt, rite disposuit, divinorumque carminum concentu cum ad res divinas, tum ad semetipsas mutuamque consensionem, ceu unica concordique chorea sacrorum coaptavit, ea quæ in spiritali Psalmorum modulatione concisa sunt et magis obumbrata, per plures et manifestiores figuras atque explicationes sacratissimis scripturisticarum compositionum lectionibus dilatantur. In his sacrarum rerum contemplator uniformem quamdam atque singularem advertet conspirationem, utpote ab uno eodemque Dei principali spiritu concitatam: unde jure merito in orbe post antiquiorem illam traditionem, Testamentum novum promulgatur, divino scilicet Hierarchicoque ordine, mea quidem sententia, per hoc declarante, uti vetus Testamentum futura prædixerit, novum vero ipsamet divina JESU opera exhibuerit; atque illud quidem quasi quibusdam imaginibus depinxerit veri-

§. 5. *Psalmos et Scripturas animos componere.*

Novum Testamentum quid.

Digitized by Google

tatem, hoc vero præsentem demonstravit, cum prædictionum ejus veritatem effectus hujus comprobavit, divinorumque sermonum operatio divina sit summa.

§. 6. *Qui et qualiter a Venerabili Sacramento arceantur, et quis ordo inter illos.*

Qui quidem horum Sacramentorum penitus ignari sunt, illi ne imagines quidem cernunt, quod nimirum impudenter salutarem divinæ generationis disciplinam repudient, Eloquiisque sacris exitiose prorsus obstrepant, *Vias tuas scire nolo.* Porro Catechumenos et energumenos, eosque qui pœnitentia ducuntur, sacrosanctæ Hierarchiæ mos patitur quidem audire sacram psalmodiam, divinamque sacrarum Scripturarum recitationem; verum ad ea quæ deinceps sequuntur Sacrificia spectaculaque nequaquam hos convocat, sed perfectos perfectorum oculos. Est enim Deiformis ille ordo sacer sanctæ plenus justitiæ, nec non salubriter cuique consentaneam pro merito cujusque rerum divinarum tribuit participationem, et juxta captum modumque singulorum suo tempore sancte concedit. Ac postremus quidem ordo Catechumenis tributus est, quod exortes sint et ignari omnis Hierarchicæ perfectionis, neque dum per divinam nativitatem divinum statum assecuti, paternis adhuc eloquiis foveantur, vivificisque formis ad beatum illum, qui ex divina generatione proficiscitur, vitæ lucisque principem progressum, efformentur. Quemadmodum itaque carnales liberi, si imperfecti et informes, obstetricis cura destituti, ante tempus excidant, ut abortivi et abortus, nativitatis ac vitæ lucisque exortem in terram lapsum habituri sunt: neque quisquam qui recte judicabit id quod apparet

Exemplum.

Digitized by Google

intuendo, dixerit in lucem ipsos esse editos, quod sint ab alvi tenebris liberati, (dicet enim Medicina, perita corporum præses, lucem vim suam egerere in illa quæ lucis sunt capacia:) sic sacrorum sapiens disciplina primum quidem ipsos introductorio formandi et vivificandi vim habentium eloquiorum cibo fovet, ubi vero statum eorum divinæ regenerationi aptum absolverit, tum demum iis salubriter ordine concedit rerum lueiformium et perficientium communicationem: nunc vero velut ab imperfectis perfecta secernit, cum decoris sacrorum, tum Catechumenorum educationis ac vitæ curam gerens, juxta deiformem ordinis Hierarchici constitutionem.

§. 7. *Energumeni impuri.*

Porro energumenorum turba immunda quidem est et ipsa, verumtamen secundum locum superiorem a Catechumenorum extremitate obtinet. Neque enim penitus profano, divinorumque Sacramentorum prorsus exorti par et æquale duxerim id quod in aliquam sacratissimorum Sacramentorum partem venit, tametsi contrariis etiamnum illecebris perturbationibusve implicetur; quamquam etiam ipsis rerum sacratissimarum aspectus communioque subtrahitur, et quidem jure merito. Nam si verum sit divinum prorsus virum divinorum communione dignum, pro suo modulo ad deiformitatis fastigium perfectissimis perfectivisque deificationibus evectum, ea quæ earnis sunt minime curaturum citra naturæ necessitatem, idque, prout usus fert, obiter, sed in sublimissima illa quæ ipsi competit deificatione templum simul spiritus Dei-principalis sectatoremque futurum, dum simile in simili fundat collocatque: profecto

Digitized by Google

quisquis est ejusmodi, contrariis nunquam imaginationibus terroribusque vexabitur, verum irridebit eos, accedentesque profligabit ac persequetur, agetque magis quam patietur, et pro affectus sui impassibilitate atque constantia aliis quoque similium vexationum medicum se præbebit. Cæterum opinor, imo vero compertum habeo, sincerissimum sacrorum Ordinum judicium censere, præ istis detestabilissima obsidione teneri eos, qui deiformem vitam deserentes, sententiis moribusque perditis dæmonibus consentiunt, dum ea quidem quæ et vere sunt, et immortaliter possidentur, atque æternaliter delectant, per extremam sibique perniciosam dementiam aversantur; materialem vero pluribusque perturbationibus obnoxiam immutationem, perditasque ac corruptrices voluptates, et instabilem, eamque alienam, neque vere existentem, sed apparentem delectationem ambiunt et consectantur. Hi ergo primi, et quidem magis proprie quam illi, segregativa ministri voce arceantur: neque enim fas sit eis cujuslibet alterius rei sacræ participes evadere, præterquam Eloquiorum Dei, quorum magisterio ad meliorem frugem converti possint. Nam si supermundialis illa sacrorum divinorum celebratio, etiamdum pœnitentes, tametsi quondam ejus compotes, repellit, non nisi sanctissimo quoque admisso; quin etiam proclamat: Ego ad deiformitatis culmen propter suam imperfectionem non assurgentibus invisibilis et incommunicabilis existo (arcet enim purissima vox ista quoque illos qui rebus divinissimis digne communicantibus conjungi non possunt) adeoque magis

Peccatores impuriores dæmoniacis.

Digitized by Google

eorum, qui passionibus exagitantur, turba profana erit, et ab aspectu communioneque sacrorum aliena. Ubi demum divino templo sacrisque, quæ capacitatem eorum superant, exclusi sunt, illi qui nullis adhuc Sacramentis initiati omninoque rudes existunt, et cum iis apostatæ vitæ sanctioris, et his conformiter illi qui adversariorum terroribus visisque præ ignavia facile moventur, quippe qui per constantem firmamque cum divinis rebus consensionem necdum deiformis istius status habitudinem efficaciamque sint adepti; deinde cum his ii quoque qui contrariæ quidem illi vitæ nuntium miserunt, nondum tamen a visis habitu amoreque divino eoque purissimo purgati sunt, atque secundum hos ii, qui non omnino uniformes, et, ut legis phrasi utar, non omnino immaculati et incontaminati sunt. Tum denique sancti sacrorum administri spectatoresque studiosi, sacratissimam Hostiam sacro ritu contuentes, generali laudatione concelebrant beneficum munificumque principium, a quo salutaria nobis exhibita sunt Sacramenta, quæ sacrosanctam illam initiatorum consummant deificationem. Hunc autem Hymnum alii Laudis canticum, alii Religionis symbolum appellant, alii denique, mea quidem sententia, divinius Hierarchicam Eucharistiam, sive sacroprincipalem gratiarum actionem, ut quæ divinitus ad nos dimanantia sacra dona complectatur: videtur enim laudatarum omnium divinarum operationum ratio nobis extitisse, cum substantiam vitamque nostram benefice sustentando, ac primitivis pulchritudinibus deiformem nostri portionem efformando, atque ad

Exclusis profanis, quomodo sancti Venerabile Sacramentum laudent.

Digitized by Google

divinioris habitus et anagoges, qua sursum elevemur, partem admittendo; tum provide curando, ut ex ingenita nobis per nostram ignaviam munerum orbitate divinorum, propositis muneribus in pristinum statum revocemur, perfectaque rerum nostratium assumptione, suarum nos participes efficiat, eaque ratione, Dei nobis divinarumque rerum communionem largiatur.

§. 8. In hunc autem modum deiprincipali benignitate sancte collaudata, coopertus quidem divinus ille panis calixque benedictionis proponitur: divinissima vero salutatio sive osculum, sacrarumque tabularum mystica et supermundialis recitatio celebratur. Non enim possunt ad unum colligi, atque unius pacificæ unionis participes existere, qui secum ipsi dissident. Nam si unius contemplatione atque cognitione illustrati, ad uniformem quamdam ac divinam conjunctionem redigeremur, nequaquam in divisas cupiditates dilabi nos pateremur, ex quibus istæ materiales plenæque passionum adversus æquales exsistunt inimicitiæ. Hanc itaque (uti reor) uniformem atque indivisam vitæ rationem sacra ista pacis conciliatio sancit, dum simile in simili collocat, et divina singulariaque spectacula a dividuis secernit.

Quid pacis osculum.

§. 9. Sacrarum porro tabularum quæ post pacem adhibetur recitatio, deprædicat eos qui sancte vixerunt, atque ad probæ vitæ perfectionem constanter pervenerunt; nos quidem, eorum imitatione ad beatissimum illum statum quietemque deiformem adhortando ac manuducendo, illos vero ceu viventes celebrando, quippe, ut Theologia docet, nequaquam

Commemoratio Sanctorum quid.

Digitized by Google

mortuos, sed ex morte ad vitam divinissimam translatos. Adverte autem, ut et sacris memorialibus inserantur, non quasi humano more memoriam divinam, in ea parte memoriæ quæ visa recipit, inesse declaret, sed ut quis dixerit pro Dei dignitate, secundum eam quæ in Deo est rerum perfectarum ac deiformium pretiosam et immutabilem cognitionem. *Novit enim,* (ut Eloquia testantur) *qui sunt ejus,* et *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus,* morte Sanctorum pro sancta consummatione accepta. Sed et illud quoque sancte observa, ut impositis divino altari sacris symbolis quibus Christus significatur ac sumitur, protinus adsit Sanctorum illa descriptio; quæ individuam eorum conjunctionem unionemque cum illo supermundialem sacramque insinuat.

2. Tim. 2. Psal. 115. 15.

His autem eo quo dictum est ritu celebratis, adstans coram symbolis sanctissimis Pontifex aqua manus abluit una cum Sacerdotum ordine venerando. Nam qui lotus est (ut Eloquia testantur) non opus habet alia quam summitatum seu extremitatum suarum lotione, per quam utique supremam munditiam fiet, ut divinissimo præditus habitu deiformitatis, dum ad sequentia quoque benigne procedit, liber futurus sit et expeditus, quippe prorsus uniformis, et ad unum rursus unitive conversus, immaculatam simul et intemeratam suam faciet conversionem, tamquam qui deiformitatis suæ plenitudinem et integritatem servet. Porro sacrum lavacrum, uti diximus, in legali erat Hierarchia; modo autem Pontificis ac Sacerdotum illa manuum ablutio illud

§. 10. *Extremitatum ablutio quid.*

Joan. 13. 10.

Digitized by Google

ipsum insinuat. Eos enim qui ad purissimum accedunt Sacrificium expiatos esse decet extremis etiam animæ phantasiis, et per similitudinem ipsi, quoad potest, appropinquare; clarioribus enim hoc modo Dei apparitionibus illustrabuntur, supermundialibus istis coruscationibus in consimilis spèciei specula limpidius uberiusque jubar suum evibrantibus. Cæterum Pontificis illa Sacerdotumque ablutio quæ summis extremisque digitis adhibetur, coram sacrosanctis istis symbolis instituitur, non secus ac coram Christo, qui occultissimas quasque cogitationes intuetur: atque ubi suprema illa expiatio perspicacissimis istis scrutationibus, nec non justissimis integerrimisque judiciis est absoluta, tum jam divinis rebus Pontifex conjungitur, sanctisque Dei operibus laudatis, divinissima consecrat mysteria, et in aspectum ducit quæ celebravit.

Consecratio et elevatio.

§. 11. Quænam porro censeamus divina in nos esse opera, deinceps pro virili exponendum est. Neque enim laudandis omnibus sufficio, imo ne clare quidem cognoscendis aliisque tradendis; quæ autem a Præsulibus divino numine affiatis conformiter Eloquiis laudantur ac celebrantur, eadem pro modulo nostro, sacri ordinis adspirationi implorata, proferemus. Naturam humanam, ab initio divinis bonis imprudentia sua spoliatam, vita passionibus obnoxia et terræ mortis exitus excepit: quippe perniciosa ista veri boni desertio, sacræque in paradiso legis prævaricatio eum qui blande, mulcentibus et infestis adversarii fraudibus illectus, vitale jugum excusserat, propensionibus suis, quæ divinis bonis adversantur,

Homo in quas ob prævaricationem calamitates incidit.

Digitized by Google

dimisit, unde misere æternitatem cum mortalitate commutavit; et qui originem a corruptibili generatione acceperat, ad interitum origini suæ consentaneum jure merito properavit, nec non a vita divina, quæ ipsum ad supera surrigebat, dilapsus, et ad extrema contraria jam præceps datus, variis perturbationibus obnoxiam nactus est immutationem. Cum vero etiam a recto tramite ad Deum verum tendente deflecteret, atque exitiosis maleficisque turmis subditus teneretur, minime advertit se non diis et amicis, sed infestis hostibus fuisse obsecutum; quibus eo crudeliter pro immanitate sua abutentibus, in status internecionisque discrimen venerat. Verum Dei principalis bonitatis infinita benignitas benevole per se nostri curam gerere non destitit, sed nostrorum omnium vere facta particeps, absque peccato, humilitatique nostræ unita, salvo proprietatum suarum statu, eoque prorsus inconfuso et inviolato, cujus etiam nobis, utpote congeneis, consortium dedit, nosque bonorum suorum participes declaravit, apostaticæ nimirum turbæ imperio, quod adversum nos habebat, juxta traditionem arcanam, profligato, non viribus ceu prævalens, sed, secundum mysticum Eloquium, in judicio et justitia. Nostrum vero statum e diverso clementer immutavit: nam mentis quidem nostræ obscuritatem beato divinoque lumine replevit, deformitatemque nostram deiformibus ornamentis illustravit; animi autem domicilium cum perfecta salute essentiæ naturæque nostræ, quæ ferme collapsa erat et conciderat, fœdissimis quibusque passionibus atque inquinamentis noxiis liberavit,

Hebr. 4. 15. *Dei in homine restituendo benignitas.*

Digitized by Google

commonstrata nobis supermundiali anagoge, ac divinæ vitæ norma, per quam ad sacras ejus similitudines, in quantum fieri potest, evehamur.

§. 12. Enimvero quomodo nobis divina ista imitatio aliter obveniat, nisi tam præstantium memoria beneficiorum Dei Sacerdotalibus prædicationibus atque mysteriis jugiter innovetur? Hoc itaque facimus, ut Eloquia jubent, in ejus commemorationem. Quapropter divinus quoque Præsul sacris altaribus assistens sancta divinaque Jesu opera collaudat, quæ ex divinissima nostri providentia in salutem generis humani, sanctissimi Patris beneplacito, in Spiritu sancto, ut Eloquia testantur, consummavit. Porro veneranda spiritalique mysteriorum contemplatione, quam spiritalibus oculis conspexit, collaudata, ad eorumdem sacrosanctam ex divino instituto procedit consecrationem: quocirca reverenter simul, et ut Pontificem decet, post sacras illas divinorum operum laudes, de Sacrificio dignitatem suam superante se purgat, ad Christum prius exclamando, Tu dixisti, *Hoc facite in meam commemorationem.* Postulans deinde hoc Sacrificio Dei imitatione dignus effici, nec non secundum Christi similitudinem divina celebrare, omninoque pure distribuere, eosque qui sacrorum futuri sunt participes mysteriorum, iisdem digne sancteque communicare, divinissima illa mysteria celebrat, et jam consecrata, sub symbolis propositis ritu sacro visenda proponit: siquidem operto individuoque pane revelato, et in multa diviso, singularique calice omnibus impertito, unitatem symbolice multiplicat distribuitque, sacrosanctum in iis

Luc. 22. 19.

Sacrificium in memoriam Christi passi.

Luc. 22. 19.

Sacra communio, ejusque finis ac significatio.

Digitized by Google

sacrificium consummando. Unicum enim illud ac simplex arcanumque Jesu Verbum divinissimum per assumptionem humanitatis nostræ, in compositionem simul et aspectum, sine ulla sui immutatione, pro sua bonitate benignitateque processit, nostrique secum unificam communionem benefice excogitavit, ea quæ in nobis humilia sunt divinissimis suis uniens excellentiis, ut et nos ipsi, tamquam membra corpori, per ejusdem immaculatæ ac divinæ vitæ identitatem congruamus, ne corruptibilibus necati passionibus, divinis istis sanissimisque membris incongrui vitæque incapaces existamus: oportet enim nos, si ad communionem ejus adspiramus, divinissimam ejus in carne vitam contemplari, atque sanctam ipsius impeccantiam imitando, ad Deiformem et immaculatum statum contendere: hac namque ratione, prout nobis congruit, similitudinem suam communicabit.

§. 13. *Quid divisio ac distributio Sacramenti insinuet.*

Hæc Pontifex rebus iis quæ sacrificantur insinuat, dum obtecta munera in apertum producit, ipsorumque unitatem in plura dividit, et per summam rerum distributarum cum suscipientibus unionem, earumdem consortes reddit eos qui communicant. Describit enim his sensibiliter dum in aspectum ducit Jesum Christum, spiritalem nostram veluti in imagine vitam, ex abdito illo divinitatis per absolutam et inconfusam humanitatis nostræ assumptionem, benigne nostram speciem induentem, atque ad dividuitatem nostram sine sui immutatione ex unitate naturali prodeuntem, perque hanc beneficam clementiam, ad sui honorumque suorum participationem

Digitized by Google

genus humanum invitantem, dummodo divinissimæ ipsius vitæ conjungamur, pro virili illam imitando: nam sic vere consortes Dei divinarumque rerum participes reddemur.

§. 14. *Gratiarum actio post Communionem.*

Sumpta denique ac tradita divinissima Communione, una cum totius Ecclesiæ sacra plenitudine in sacram desinit gratiarum actionem. Cæterum participatio communicationem, ipsaque perceptio mysteriorum eorumdem distributionem mysticam antecedit: est enim iste generalis rerum ordo ac distinctio divinarum, ut prius ipsemet Antistes sacer communicet, ac donis iis, quæ per ipsum cæteris divinitus distribuenda sunt, satietur, et deinde illa tradat aliis. Hinc qui divinis magisteriis proterve abutuntur, quod iis neque vivendi ratione, neque statu suo respondeant, tamquam sacrilegi et a sacris extorres omnino reputandi. Quemadmodum enim in coruscationibus solaribus tenuiores istæ limpidioresque substantiæ, dum influenti in ipsas radio primæ repletæ sunt, omne lumen sibi superfusum in subsequentes solis vice transfundunt; pari ratione, nequaquam debet temere ducem sese aliis divini luminis offerre, qui non secundum omnem statum suum deiformis maxime evaserit, divinaque aspiratione atque sententia ad id idoneus sit comprobatus.

Cur Sacerdos prior communicet se ipsum, deinde alios.

§. 15. *Finalis gratiarum actio.*

In his omnis ordo Sacerdotum Hierarchice congregatus, divinissimis mysteriis perceptis, cum gratiarum actione desinit, agnitis pro captu suo laudatisque divinorum operum beneficiis. Qui enim rerum divinarum expertes sunt et ignari, nequaquam ad gratias agendas convertuntur, quamvis ex natura

Digitized by Google

sua dona illa divinissima sint omni gratiarum actione dignissima. Cæterum cùm (uti dixi) divinis istis muneribus, propter suam ad deteriora propensionem, attendere non velint, infinitis divinorum beneficiorum gratiis ingrati permanent. *Gustate* (inquiunt Eloquia) *et videte:* quoniam qui sacrosancta divinarum rerum disciplina initiantur, permagnificas ipsarum gratias agnoscent, atque divinissimam earum celsitudinem ac magnitudinem in Communione sancte considerantes, supercælestia supremæ Deitatis beneficia grati collaudabunt. Psal. 33. 9.

CAPUT IV.

De iis quæ in Unguento fiunt ac perficiuntur.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prima Parte dicit, Unguenti mysterium affine esse Venerabili Eucharistiæ.

Secunda Parte describit ritum consecrandi sacrum Unguentum.

Tertia Parte subjungit contemplationem, in qua mystice explanat. 1. *Quid sibi velit Unguenti obvelatio.* 2. *Ait Unguentum, licet profanis tectum sit, sanctis tamen patere.* 3. *Sacrum Unguentum habere vim consummandi; ibidemque exponit, quanta sit efficacitas canticorum spiritualium.* 4. *Quid Unguenti compositio significet.* 5. *Ostendit, quod quanto quis Deo propinquior est, tanto etiam suavius ab ipso afficiatur.* 6. *Quid signent Seraphini qui Pontifici in confectione Unguenti assistunt.* 7. *Quid eorumdem multiplices facies et alæ designent.* 8. *Cur facies pedesque obtegant.* 9. *Quid sibi velit clamor unius ad alterum.* 10. *Quid eorumdem nominis interpretatio; et quomodo Unguentum designet, Christum in*

Digitized by Google

se invariatum nos sanctificare; et cur Unguentum in omni fere consecratione adhibeatur. 11. Cur Unguentum adhibeatur in Baptismo. 12. Cur altare Unguento consecretur; et cur Unguentum τελετὴ nuncupetur.

I. Tanta sunt et tam præclara sanctissimæ Synaxeos spectacula spiritalia quæ nostri cum uno illo, uti sæpe diximus, communionem atque conjunctionem præcipuo quodam ritu sacro perficiunt: verumtamen est et alia huic coordinata consecratio, quam Unguenti mysterium præceptores nostri appellant. Hujus itaque partibus juxta sacras imagines ordine perspectis, hoc modo per easdem ad illud ejus unum Hierarchicis contemplationibus evehemur.

Unguenti mysterium Eucharistiæ affine.

II. MYSTERIUM.

Consecrationis Unguenti.

Eodem modo quo in Synaxi ordines eorum, qui minus perfecti sunt, excluduntur, præmissis videlicet, sacra per totum templum cum odoris fragrantia processione, Psalmorumque sacra modulatione, et divinissimorum Eloquiorum promulgatione. Deinde Pontifex accepto Unguento ponit illud supra divinum altare, duodecim sacris alis obvelatum, cunctis sanctissima voce concinentibus illud divinitus afflatorum Prophetarum Canticum afflationis, completaque super eo consecratoria precatione, in sanctissimis quibusque rerum sacrandarum consecrationibus eodem utitur, ad omnem ferme Hierarchicam consecrationem.

Ritus Unguentum consecrandi.

Digitized by Google

III. CONTEMPLATIO.

§. 1. *Unguenti obvelatio quid insinuet.*

Ipsamet quidem introductoria perfectivæ hujus consecrationis anagoge per ea, quæ divino illo Unguento consecrantur, ut opinor, insinuat, viris sanctis obvelandam esse mentis sanctitatem atque fragrantiam; cum divinitus viri sancti jubeantur, non ad vanam gloriam apparentes arcani Dei pulchras ac fragrantes habere similitudines. Siquidem arcana Dei decora, quorum suavitas intellectum superat, prorsus sunt intemerata, solisque viris spiritalibus spiritaliter apparent, quod in animabus nostris exigant habere sibi conformes per virtutem et incorruptibiles imagines. Ineircumscriptum enim illud virtutis deiformis simulacrum rite imitandum est, ut spiritalis ac fragrans ipsum referat pulchritudo, seque formet et effingat ad pulcherrimam ejus imitationem. Et sicut in imaginibus sensibilibus, si pictor ad primævam speciem constanter intendat, nulla re alia visibili distractus, neque secundum quidpiam divisus, illum ipsum qui depingendus est (si ita dicere liceat) quodammodo replicabit, atque ipsammet veritatem in similitudinem et archetypum in imagine exprimet, alterumque in altero citra substantiæ differentiam referet: sic honesti amantibus in mente pictoribus, suaveolentis et arcanæ pulchritudinis intenta constansque contemplatio infallibilem indet maximeque deiformem imaginationem. Merito itaque divini pictores, quando mentem suam ad supraessentialem illam fragrantem spiritalemque pulchritudinem con-

Exemplum a pictore quidpiam imitante.

Digitized by Google

stanter efformant, nullam virtutem earum quæ iis insunt agunt, ut ab hominibus, uti scriptum est, videantur; sed sancte in Unguento divino, velut in imagine sacratissima, quæque Ecclesiæ mysteria velata contemplantur; atque adeo quidquid in virtute sacrum ac maxime deiforme est intra mentem suam, quæ ad imaginem et similitudinem Dei facta est, recondentes, ad primævam duntaxat speciem atque intelligentiam intuentur: neque enim solum dissimilia non vident, sed ne ad eorum quidem aspectum pertrahuntur. Quamobrem, sicut eos decet, non ea quæ temere videntur, sed quæ vere justa sunt ac bona diligunt: neque istam spectant gloriam, quæ sine ratione vulgo passim beata prædicatur, sed imitatione Dei bonum malumve per se judicantes, divina quædam simulacra fiunt istius fragrantiæ divinæ, quæ bonum in se odorem vere continens, ad illud, quod vulgo passim inæqualiter apparet, numquam convertitur, in veris suis imaginibus exprimens veritatem.

Pura intentio.

§. 2. Age jam deinceps, quoniam exteriorem ritus vere pulchri venustatem aspeximus, diviniorem ejus pulchritudinem intueamur, eamque sublatis velaminibus per se contemplemur, clare suum jubar illud beatum evibrantem, nosque illa, quæ viris spiritalibus explorata est, odoris fragrantia replentem. Neque enim aspectabilis Unguenti confectio iis qui Pontifici præsto sunt incommunicabilis aut inaspectabilis existit, sed e diverso, dum ad ipsos usque pertendit, ac sistit eam quæ vulgi captum superat contemplationem, ab iisdem reverenter obtegitur, et a

Unguentum profanis tectum sanctis patet.

Digitized by Google

turba pontificio jure secernitur. Siquidem ille radius rerum sacratissimarum dum viris divinis, tanquam intelligentibus, pure atque immediate collucet, et conceptus eorum spirituales bono palato imbuit odore, ad id quod humi serpit nequaquam similiter procedit, sed ab ipsis, utpote arcanis spiritalis rei spectatoribus, sine ostensione, nec a dissimilibus quibusque violetur, pennatis amictibus obducitur, quibus, cum sacris signis, proceri omnes subditorum pro capacitate sua ad res sanctas promoventur.

Est igitur, ut dixi, sacrosanctum hoc, quod a nobis modo laudatur, mysterium, ejus ordinis atque virtutis, ut Hierarchicas consummet functiones: quocirca quoque divini præceptores nostri, tanquam ejusdem ordinis et operationis cum sacrosancto Synaxeos Sacramento, iisdem imaginibus ut plurimum, mysticisque distinctionibus ac sacris verbis, descripserunt. Atque Pontificem quidem videre licuit eodem modo a diviniore loco odoris suavitatem ad sequentia loca sacra diffundentem, unoque ad eumdem locum reditu docentem, quomodo divinarum rerum participatio, dum in omnibus quidem sacris pro cujusque meritis communicatur, nihilominus in se neque imminuta, neque loco mota, in divini fundi proprietate, sine ulla sui immutatione, consistat. Pari rursus modo cantica Scripturarum atque lectiones rudibus adhuc animis ad vitalem adoptionem obstetricantur, et eorum qui a dæmonibus vexantur, sanctam promovent conversionem, pavoremque contrarium et pellicatum abolent eorum qui a dæmone

§. 3. *Unguentum vim habet consummandi.*

Effectus Canticorum spiritalium.

Digitized by Google

propter ignaviam arripiuntur, dum nimirum illis, ad illorum captum; status deiformis ac virtutis verticem proponunt: unde fit, ut ipsi potius adversis potestatibus terrori sint, atque cæteris quoque curandis præficiantur, ad Dei quidem imitationem bonis propriis stabiliti, adversus autem terrores contrarios non tantum efficacitatem obtinentes, verum etiam largientes: iis vero qui ex iniquitatibus ad mentem sanctam redierunt, habitum quemdam sanctum inserunt, ne iniquitate denuo capiantur, quibus autem ad omnimodam puritatem quidquam deest, illos perfecte expiant; sanctos vero ad imagines divinas et earumdem contuitum atque consortium promovent: pascunt itidem eos qui jam plane sancti sunt, beatis ac spiritalibus spectaculis eorum uniformitatem uno illo adimplentes et unificantes.

§. 4. Quid porro? Numquid etiam præsens quæ modo celebratur consecratio ordines illos qui non plane mundi sunt, quorum antea mentionem fecimus, impromiscue dimittit, eo modo quo fit in Sinaxi, et in Sacris tantum imaginibus cernitur, et a solis viris sanctissimis in Hierarchicis anagogiis immediate conspicitur ac celebratur? Verum, hæc cum a nobis sæpenumero dicta sint, supervacaneum esse arbitror iisdem verbis repetere, quin potius ad ea quæ sequuntur transeundo, Pontificem videamus alis duodecim obvelatum Unguentum sacrum tenentem, ac purissimum in eo Sacramentum consecrantem. Dicimus igitur, Unguenti compositionem collectionem quamdam esse fragrantium materiarum, quæ in se affatim suaveolentes continet qualitates, cujus qui

Quid Unguenti compositio significet.

Digitized by Google

participes existunt, odoris suavitate afflantur, proportione fragrantis quæ illis inest participationis. Scimus autem, divinissimum illum Jesum suprasubstantialiter fragrantem, spiritalibus distributionibus partem nostri spiritalem divina voluptate recreare. Si enim rerum sensibilium suaveolentia nostrum, modo sanus et rei odoriferæ debita proportione accommodatus sit, olfactum bene afficit, et magna cum voluptate alit, eadem utique ratione dicat aliquis, spiritales nostras facultates, si nulla in malum propensione corruptæ fuerint, naturali quodam judicii vigore, secundum divinæ operationis modos congruamque mentis ad Deum conversionem, divini odoris suavitate perfundi, atque sacra quadam voluptate et divinissimo alimento satiari. Ipsamet igitur Unguenti mystica compositio, quasi in figuratione rerum infigurabilium, ipsummet Jesum nobis depingit esse fontem uberem, e quo divinorum odorum suavitates hauriuntur, dum proportionibus divino-principalibus in mentes maxime deiformes divinissimos illos spiritus infundit, quibus suaviter affectæ, sacrisque perceptionibus plenæ, spiritali alimonia perfruuntur, dum suaveolentes istæ distributiones divina largitione spiritalem animæ portionem subeunt.

§. 5. *Quanto quis Deo propinquior tanto suavius ex ipso afficitur.*

Existimo autem esse perspicuum, superioribus essentiis, utpote divinioribus, fontalis fragrantiæ distributionem propinquiorem quodammodo existere, magisque se illis expromere ac distribuere, partem eorumdem maxime deiformem virtutisque spiritalis capacissimam affatim mundando, ac multipliciter subeundo; ad inferiores autem, et qui non æque

Digitized by Google

espaces sunt supremam illam contemplationem atque communionem reverenter contrahendo, ejusdem participationem, instillationibus eorum captui accommodatis, divina quadam proportione derivare. Ordo itaque Seraphim, qui sanctas illas nobis excellentiores essentias supra modum superat, in alis duodecim significatur, adstans Jesu et prope ipsum collocatus, beatissimis ejus contemplationibus, quantum fas est, vacans et spiritalis distributionis in sanctissimis receptaculis sancte plenus, et, ut sensibili modo dicam, multum decantatam illam Dei laudem incessabili voce proclamans: sacra siquidem cœlestium spirituum cognitio et indefessa est, et divinum habet amorem indeficientem, omnique malitia et oblivione superior existit: unde clamor ille incessabilis, meo quidem judicio, designat sempiternam eorum et immutabilem, cum omni contentione atque gratiarum actione, rerum divinarum scientiam atque cognitionem.

Incorporeas quidem proprietates Seraphim a Scripturis sancte sensilibus figuris quibus res intellectiles exprimunt depictas in cœlestium Hierarchiarum descriptionibus præclare, uti puto, spectavimus, tusque spiritalibus oculis exhibuimus; sed quoniam etiamnum iis qui Pontifici reverenter assistunt, illam ipsam sublimissimam distinctionem nobis repræsentant, breviter iterum immaterialibus oculis quam maxime deformem eorum splendorem contemplemur.

§. 7. *Quid facies eorum et quid alæ designent.*

Infinitæ quidem facies eorum multique pedes significant, ut opinor; vim proprietatemque eorum qua multas divinas cernunt illustrationes, bonorumque

divinorum intelligentiam, quæ sempiterno motu cietur, multaque peragrat: senas autem alas, quas Eloquia commemorant, non existimo sacrum numerum denotare, ut quibusdam placuit, sed ipsas virtutes supremæ illius quæ circa Deum versatur essentiæ seu distinctionis, primas, medias, et extremas, esse plane spirituales ac deiformes, superna petere, penitusque liberas existere ac supramundiales. Hanc ob causam sacratissima Scripturæ sapientia dum alarum figuram depingit, ad eorum facies, mediaque corpora, ac pedes pennas adhibet, ut insinuet, eas penitus alatas esse atque omni vi ad id quod veraciter existit sursum ferri.

§. 8. *Cur facies et pedes obtegant.*

Quod si facies pedesque obtegunt, mediisque tantum alis volant, intellige, tam præstantem summarum naturarum ordinem revereri ea quæ altiora profundioraque sunt, quam ut intelligendo assequi possint, mediisque alis moderate ad Dei contemplationem evehi, dum et divinis lanceibus vitam suam subjicit, et ab iis sancte ad sui notitiam promovetur.

§. 9. *Quid clamor alterius ad alterum.*

Quod autem Scriptura dicat, Clamabat alter ad alterum, hoc existimo significare, quod divinarum suarum visionum et intelligentiarum participationem sine invidia sibi mutuo communicent. Quin etiam hoc memoratu dignum, quomodo in sacris Litteris sanctissimæ illæ naturæ perquam significanter Hebraica voce Seraphim appellentur, quod nimirum per divinam semperque mobilem vitam suam ignescant, et supra modum ferveant.

§. 10. *Seraphim significatio quid cum Unguento.*

Si igitur, ut Hebraicorum nominum interpretes affirmant, divinissimi illi Seraphim Incensores et

Calefactores a Scriptura nominentur, quod id nomen statum eorum naturalem exprimat, utique, juxta symbolicam effigiationem, habent Unguenti divini vires illas, quæ sursum agunt ad ipsum exprimendum, et ad efficaciores vapores distribuendos incitant. Etenim essentia illa, cujus odoris suavitas mentem superat, ab igneis purissimisque mentibus ad sui manifestationem invitari amat, divinissimasque suas inspirationes luculentissimis distributionibus impertitur iis qui sic illam supramundialiter invitarunt. Nequaquam igitur divinissimus cælestium essentiarum ordo ignorabat, Jesum divinissimum sanctificationis ergo descendisse; verum sciebat, ipsum, propter divinam et ineffabilem bonitatem suam, sancte se ad nostra demisisse, et ab ipsomet Patre Spirituque humano more sanctificatum cernens, proprium agnoscebat principium in iis quæ divinitus agebat secundum essentiam invariatum. Quare traditio sacrorum symbolorum, dum divinum Unguentum consecratur, Seraphim apponit, ut Christum denotet ac describat, in universa naturæ humanæ nostræ assumptione in se immutatum permansisse. Et quod divinius est ad omnem rei sacræ consecrationem divino utitur Unguento, manifeste demonstrans, juxta Scripturas, eum qui sanctificandum sanctificat, ut qui semper sibi ipsi similis, atque idem sit in omni divinæ benignitatis operatione; quapropter etiam divinæ regenerationis donum et gratia perficiens divinissimi Unguenti consecrationibus consummatur. Unde, ut opinor, etiam in baptisterium expiatorium Unguentum, aspersionibus in

Unguentum designat Christum in se invariatum nos sanctificare.

Digitized by Google

Crucis formam expressis, infundens Pontifex, mentalibus oculis sub aspectum ponit, ut ad mortem usque Jesus in Cruce pro divina nostra regeneratione demersus, divino illo et insuperabili descensu in morte sua baptizatos secundum oraculum arcanum, ex antiqua mortis corruptibilis dejectione benigne vindicarit, et ad divinum æternumque statum innovarit.

Unguentum in omni fere consecratione adhiberi.

Quin etiam ei qui sanctissimæ divinæ regenerationis sacro initiatus est consummans illa unctio divini Spiritus illapsum elargitur, sacra, uti reor, symbolorum fictione hoc sub oculos ponente, quomodo ab ipso, qui propter nos humano more spiritu Dei principali sanctificatus, essentiali divinitatis suæ statu invariato, divinissimus ille Spiritus donetur.

§. 11. *Cur in Baptismo Unguentum adhibeatur.*

Hoc etiam sancte observa, ut sacratissimorum illa lex mysteriorum purissimis Unguenti sacratissimi effusionibus divini quoque altaris consecrationem perficiat. Est utique supraælestis ac supersubstantialis hæc divina operatio universæ divinitus nobis præstitæ sanctificationis initium et essentia virtusque perfectiva. Etenim si Jesus, qui est altare nostrum divinissimum divina est divinarum mentium consecratio, in quo, secundum Scripturam, sanctificati, et mystice in morem holocausti concremati, accessum obtinemus, supramundanis oculis divinissimum illud altare intueamur (in quo ea quæ initianda sunt, consecrantur ac sanctificantur) ipsomet Unguento divinissimo initiatum: sanctificat enim semetipsum pro nobis sanctissimus ille Jesus, nosque omni replet sanctitate, dum ea quæ in eo geruntur

§. 12. *Cur altare Unguento consecretur.*

Digitized by Google

per dispensationem, ad nos, veluti a Deo genitos, benefice dimanant. Unde, ut opinor, juxta sensum Hierarchicum qui a Deo traditus est, divini isti sacri nostri ordinis duces sanctum hoc Unguenti mysterium τελετην, id est consecrationem vocant, quod re ipsa consecret atque consummet; ut si quis dixerit Dei consecrationem, utroque sensu divinam ejus perfectionem prædicando. Est enim Dei consecratio, cum quod propter nos humanitus sanctificetur, tum quod divinitus cuncta, quæ consecranda sunt ipse consecret atque sanctificet. Porro melos illud sacrum Prophetarum divinitus afflatorum, ajunt hi qui Hebraice norunt, Dei laudem significare, sive *Laudate Dominum*. Cum igitur sacra omnis Dei apparitio actioque in diversa Hierarchicorum symbolorum compositione sit descripta, nequaquam abs re fuerit, meminisse laudationis Prophetarum quam divinitus didicerunt: docet enim præclare simul ac sancte, divina beneficia præcipua laude digna esse.

Unguentum cur τελετὴ dictum.

CAPUT V.

De sacrorum Ordinum consecrationibus.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prima Parte hujus Capitis ostendit. 1. Quam sit Hierarchia nostra bene ordinata. 2. Quæ sit consecratio spirituum cœlestium, et quibus data sit legalis Hierarchia, et qua de causa, et ubi data sit: aitque nostram Hierarchiam mediam esse inter legalem ac cœlestem. 3. Tres esse functiones Hierarchiæ, scilicet expiare, illuminare, perficere. 4. Ordines inferiores a superioribus ad Deum adduci. 5. Pontificem esse primum in ordine Hierarchico, et ab eo sacram omnem po-

Digitized by Google

testatem ad inferiores derivari. 6. Quid sit munus Pontificum, Sacerdotum, Diaconorum. 7. Superiores inferiorum facultates habere, et functiones eorum exercere posse, non contra.

Secunda Parte tradit ritum consecrandi Episcopum, Sacerdotem, Diaconum.

Tertia Parte proponit contemplationem, in qua explicat. 1. Quæ sint cuique ordini communia, et quæ particularia. 2. Quid sibi velit accessus ad altare et genuflexio. 3. Quid manus impositio. 4. Quid crucis signatio. 5. Quid nominum promulgatio, et quomodo nemo sit ad sacra promovendus, nisi a Deo electus. 6. Quid insinuet finalis salutatio. 7. Cur capiti Pontificis Scripturæ liber imponatur. 8. Quid sibi velit genuflexio sive unius sive utriusque poplitis.

§. 1. *Hierarchia nostra quam sit ordinata.*

Hæc quidem divinissima est Unguenti consecratio: modo tempus est, post divinas istas functiones, ipsosmet sacros Ordines exponendi, eorumdemque distributiones, ac virtutes, et actiones atque perfectiones, tresque Ordines majores qui sub iis continentur, ut ostendatur Hierarchiæ nostræ descriptio, quidquid inordinatum et incompositum atque confusum est, nulla cum eo mixtione facta, segregare et ablegare, decorem vero atque ordinem ac majestatem in proportionibus sanctorum Ordinum suorum exhibere. Ac triplicem quidem omnis Hierarchiæ divisionem in Hierarchiis iis, quas pridem, celebravimus, congrue satis, uti reor, exposuimus, cum diximus, Hierarchicam rationem omnem in divina mysteria seu sacra dividi, et in eos qui ea tenent enuntiantque aliis, atque in eos qui ab illis initiantur.

§. 2. *Quæ sit conse-*

Itaque sanctissimæ quidem supercælestium essentiarum Hierarchiæ pro consecratione est intelligentia

eratio spirituum cælestium.

illa quam maxime a materia semota, qua se Deumque norunt, atque deiformitatis integer, quantusque possibilis est, divinæ imitationis status. Illuminatores vero et ad istiusmodi sacrosanctam imitationem duces sunt primæ istæ substantiæ quæ circa Deum versantur; hæ enim in inferiores sacros Ordines benigne, pro cujusque captu, continuo deificas scientias derivant, quas ipsis impertivit per se perfectus ac sapientificus ille divinarum mentium divinus Principatus. Porro primis istis essentiis subditæ distinctiones, utpote quæ per illas sancte ad deificam divini principatus illustrationem adducuntur, vocantur, et sunt vere Ordines initiati. Secundum illam autem cælestem mundoque superiorem Hierarchiam divinitas in nos benefice sacratissima sua munera depromens, iis quidem qui infantes erant, ut Scriptura testatur, legalem indulsit Hierarchiam, sub exilibus nimirum veritatem imaginibus atque simulacris, quæ ab exemplaribus plurimum dissidebant, obscurisque ænigmatibus et figuris, quæ opertam nec ita facilem dijudicatu intelligentiam habebant, lumen iis proportionatum, tamquam imbecillioribus oculis, innocue affundens. Hujus autem legalis Hierarchiæ mysterium introductio quædam fuit ad cultum spiritalem. Duces ejus extiterunt ii qui sacri illius tabernaculi ritum a Moyse, primo legis Pontificum Doctore ac duce, didicerant: qui ad sacrum illud tabernaculum institutionis causa Hierarchiam legis describens, ad exemplaris, quod illi in monte Sina monstratum fuerat, imaginem et imitationem omnia, quæ in lege sancte fiebant, revocabat. Per-

Legalis Hierarchia quibus data sit.

Ad quid et ubi data sit.

Digitized by Google

ficiebantur autem ii, qui a legalibus signis secundum captum suum ad perfectiorem disciplinam promovebantur. Perfectiorem vero mysteriorum disciplinam sacra Scriptura nostram vocat Hierarchiam, eum hanc illius consummationem sacrumque finem nominat. Est autem eadem etiam cælestis et legalis communione quadam mediæ conditionis suæ, qua communicat extremis, cum illa nimirum in spiritalibus contemplationibus, cum hac vero sensibilium varietate signorum, per quæ etiam ad divinum numen adducitur. Porro triplicem etiam habet sacri ordinis distributionem, quatenus dividitur in sanctissimas mysteriorum cæremonias, atque in deiformes sacrorum administros, et in illos qui ab his ad sacra cuique congruentia promoventur. Quælibet autem ex tribus Hierarchiæ nostræ partitionibus ad legalis et ejus, quæ nostra hac divinior est, Hierarchiæ similitudinem, prima, et media, et extrema statuitur, cum sanctæ proportionis, tum venustissimæ suoque ordini congruæ, ac cuncta connectentis societatis virtute subnixa.

Hierarchia nostra est media inter legalem et cælestem.

§. 3. *Tres sunt Hierarchiæ functiones.*

Sanctissima itaque mysteriorum consecratio primam quidem virtutem deiformem habet, qua profanos sacris expiat; mediam vero, qua eos qui jam expiati sunt illuminando initiat; postremam denique, et summam præcedentium, qua sacris initiatos propriarum consecrationum scientia consummat ac perficit. Porro sacrorum ministrorum distinctio virtute prima per mysteria profanos expiat; media vero expiatos illuminat, postrema denique eaque suprema sacrorum ministrorum virtute eos, qui divini lumi-

Digitized by Google

nis participes facti sunt, perfecta visarum illustrationum scientia absolvit. Eorum vero qui initiantur vis prima est, quæ expiatur; media post expiationem, quæ illustratur, et ad quorumdam Sacramentorum conspectum admittitur; postrema denique cæterisque divinior, ea quæ sacrarum quas percipit illustrationum consummante scientia collustratur. Triplex itaque virtus mysteriorum sanctæ consecrationis celebrata est, cum ex Scripturis ostenderimus, sacram quidem Dei regenerationem esse simul expiationem et splendorem illustrantem; mysterium autem Synaxeos et Unguenti, cognitionem esse atque scientiam quæ divina opera consummat, per quam sacrosancte ad divinum principatum et unifica adductio et beatissima fit communio. Nunc autem deinceps exponenda est distinctio Sacerdotum, quæ in ordinem expiantem, illustrantem, perficientemque dividitur.

§. 4. Inferiores a superioribus ad Deum adduci.

Lex quidem hæc est sacrosanctæ summæ Deitatis, ut per prima quæ sequuntur, ad divinissimam ejus lucem adducantur. An non sensibiles quoque substantias elementorum cernimus primum ad ea, quæ ipsis magis cognata sunt, accedere, ac per illa deinde efficacitatem suam ad alia derivare? Merito igitur omnis cum invisibilis tum visibilis distinctionis initium ac sedes ad eos, qui deiformiores sunt, deificos suos radios permittit pervenire, atque per illos, utpote limpidiores spiritus, et participandum traducendumque lumen magis idoneos, inferioribus pro illorum capacitate illucescit, et apparet. Istorum igitur est, qui primi Deum cernunt, sequentibus sine in-

Digitized by Google

vidia, pro modulo cujusque, sibi sacrosancte perspecta divina spectacula insinuare: docere etiam ea quæ Hierarchiæ propria sunt, eorum est, qui cum perficiente scientia divina quæque sacri sui ordinis mysteria probe sunt edocti, consummatamque docendi alios virtutem acceperunt: Sacramenta vero pro dignitate tradere illorum est, qui scite atque integre Sacerdotalis initiationis participes existunt.

§. 3. *Pontifex est primus in ordine Hierarchico.*

Pontificum itaque divinus ordo primus est eorum ordinum qui Deum vident, idemque et summus et ultimus, quippe in quo et absolvitur et expletur omnis Hierarchiæ nostræ distinctio. Ut enim Hierarchiam omnem videmus in Jesum desinere, sic unamquamque in suum divinum Pontificem. Porro virtus ordinis Hierarchici in sacris omnibus distinctionibus capitur, et per omnes sacros ordines Hierarchiæ, quæ ipsi propria est, mysteria perficit; verum huic excellenter præ cæteris ordinibus in sui ministerium divina lex officia diviniora distribuit, quæ nimirum sunt imagines præcipuæ perficientis virtutis Dei, quibus divinissima quæque symbola sacræque distinctiones omnes consummantur. Licet enim a Sacerdotibus veneranda quædam Sacramenta conficiantur, numquam tamen Sacerdos divinam illam regenerationem sine divinissimo illo Unguento consummabit, neque divinæ communionis mysteria consecrabit, nisi communionis Sacramenta divinissimo altari fuerint imposita, quin ne Sacerdos quidem erit, nisi pontificiis initiationibus ad sortem istam fuerit promotus. Quapropter lex divina Hierarchicorum ordinum sanctificationem, et Unguenti divini consecrationem, sa-

Ab eo sacram omnem potestatem in inferiores derivari.

Digitized by Google

eramque altaris benedictionem perficientibus divinorum Pontificum virtutibus singulariter attribuit.

§. 6. *Quid sit munus Pontificum, Sacerdotum, Diaconorum.*

Est igitur Pontificatus seu Episcopatus ordo, qui consummante virtute fultus, perficientia quæque sacri ordinis munia præeminenter consummat, atque sacrorum disciplinas interpretando tradit, et edocet, quænam ipsis sacræ competant habitudines atque virtutes. Sacerdotum autem ordo, qui illuminat, ad sacra mysteria contuenda initiatos manuducit divinorum ordini Pontificum subjectus, cum quo propria sua celebrat officia, atque in iis quidem quæ facit divina opera sanctissimis signis et Sacramentis ostendit, spectatoresque eos qui accedunt efficit, et in sanctorum mysteriorum societatem communionemque admittit, sed ad Pontificem remittit eos qui disciplinam expetunt mysteriorum quæ viderunt. Verum ordo ministrorum seu Diaconorum est, qui expiat et dissimilia discernit, antequam ad Sacerdotum sacra veniant; accedentes etiam lustrat, ut eos a contrariis immunes reddat, atque sacrorum mysteriorum spectaculo et communione dignos. Itaque in sacra Dei regeneratione Diaconi eum, qui ad illam accedit, antiqua veste exuunt atque discalceant, et ad Occidentem abrenuntiandi causa sistunt, rursusque traducunt ad Orientem (sunt enim purgantis ordinis atque virtutis) hortantes eos qui accedunt, ut prioris vitæ indumenta penitus deponant; errorisque pristini tenebris patefactis docent eos ut obscuris rebus ablegatis, sese transferant ad ea quæ illuminant. Diaconorum itaque ordo est expiatorius, ad præclara Sacerdotum sacra ducens eos qui expiati sunt, atque

Digitized by Google

expiat imperfectos, quos etiam fovet purgantibus Eloquiorum illustrationibus atque doctrinis: et præterea profanos a Sacerdotibus arcet, propter quod Pontificio instituto sacris quoque foribus præficitur, ut significetur, eorum qui ad sacra veniunt accessum omnimodis illustrationibus esse expiandum, quandoquidem ad aspectum communionemque sacrorum introducendi munus expiatoriis [virtutibus sit commissum, a quibus alii, qui ab omni macula mundati sunt, intromittantur.

§. 7. *Superiores inferiorum facultates habere et functiones exercere posse; non contra,*

Demonstratum est igitur, Pontificum quidem ordinem perficiendi vim habere, ac re ipsa perficere, Sacerdotum autem illuminandi vim habere, atque illuminare; ministrorum vero expiandi ac discernendi facultatem obtinere. Siquidem ordo pontificius non perficiendi tantum, sed et illuminandi simul atque expiandi vim habet; ac potestas Sacerdotum, præter illuminandi facultatem, expiandi quoque continet scientiam: verum inferiores ad superiorum functiones transilire nequaquam possunt, quare nefas sit eos ad tantam proterviam devenire. Virtutes autem quæ diviniores sunt, præter facultates proprias inferiorum quoque sacras scientias perfectione sua continent. Quoniam tamen Ecclesiasticæ descriptiones divinarum imagines sunt actionum, quod ornati distinctique divinarum actionum ordinis certas ratasque illustrationes in se exhibent, in primas, et medias novissimasque sacras functiones atque ordines in Hierarchicis distinctionibus sunt distributæ, quod, uti dixi, divinarum actionum ordinem atque distinctionem in semetipsis exhibent. Cum enim illa

Digitized by Google

summa deitas mentes eas, quibus se insinuat, primum expiet, ac deinde illuminet, atque illustratas demum ad deiformem quamdam promoveat perfectionem, recte sacer Ordo, qui divinis præest imaginibus, in diversos semetipsum ordines virtutesque distinguit; aperte demonstrans, divinas illas præcipuas actiones in sanctissimis purissimisque ordinibus constanter distincteque consistere. Sed quoniam Sacerdotum ordines ac munia, virtutesque eorum et actiones pro virili exposuimus, sacratissimas etiam eorum consecrationes, quoad possumus, consideremus.

II. MYSTERIUM
consecrationis sacrorum Ordinum.

Ritus consecrandi Episcopum.

Pontifex quidem qui ad Pontificiam consecrationem est evectus utroque genu flexo ante altare, supra caput habet Scripturas a Deo traditas, manumque Pontificis, atque, hoc modo a Pontifice, qui ipsum consecrat, sanctissimis apprecationibus consecratur.

Sacerdotem.

Sacerdos vero utroque poplite ante altare flexo, in capite habet dextram Pontificis, et hoc modo ab illo Pontifice, qui illum consecrat, sanctis invocationibus

Diaconum

consecratur. Porro Diaconus unum genu flectens ante divinum altare supra caput habet dextram Pontificis ipsum consecrantis, et ab eo consecratur invocationibus ad ministrorum consecrationem accommodatis. Unicuique autem eorum signum crucis a consecrante Pontifice imprimitur, et singulis sancta prædicatio perficiensque salutatio adhibetur, cunctis præsentibus Ecclesiasticis, una cum Pontifice conse-

Digitized by Google

crante, consalutantibus illum qui in aliquem dictorum Ordinum sacrorum est cooptatus.

III. CONTEMPLATIO.

§. 1. *Quæ sint cuique ordini communia, quæ particularia.*

Communia quidem sunt et Pontificibus, et Sacerdotibus, et ministris cum consecrantur, accessus ad divinum altare, genuum flexio, pontificiæ manus impositio, crucis impressio, prædicatio, perficiens salutatio: præcipua vero et Episcopis propria est Scripturarum supra caput impositio, quod inferiores ordines non habent; Sacerdotibus autem utriusque pedis inclinatio, quo caret consecratio ministrorum; ministri enim, ut dictum est, alterum tantum genu flectunt.

§. 2. *Accessus ad altare et genuflexio quid signent.*

Itaque accessus ille ad divinum altare genuumque flexio insinuat omnibus iis qui sacris Ordinibus initiantur, tam propriam Deo, consecrationis auctori, penitus subjiciendam, nec non spiritalem integritatem omnino puram purgatamque atque uniformem offerendam esse, ut, quantum fieri potest, digna sit divino templo et altari ejus, qui sanctiori ratione deiformes mentes consecrat.

§. 3. *Quid manus impositio.*

Pontificis autem manus impositio designat Hierarchicam protectionem, qua, tamquam sanctos filios, paterno affectu fovet, et statum virtutemque sacri Ordinis impertitur, adversariasque potestates procul ab illis abigit: simulque docet, sic consecratos obire sacras omnes ordinis functiones, tamquam qui sub Deo illas obeant, quem in omni re suarum actionum ducem habent.

Digitized by Google

§. 4. *Quid Crucis signatio.*

Porro signum Crucis, designat omnium simul carnalium cupiditatum cessationem, divinæque vitæ imitationem, dum constanter intuentur ad Dei virilem Jesu vitam ad crucem usque et mortem, cum summa prorsus ac divina impeccabilitate transactam, qui pie viventes, tamquam sibi conformes, ad imaginem impeccabilitatis suæ forma crucis insignit.

§. 5. *Quid nominum promulgatio.*

Sacram vero ordinationum et eorum qui initiantur promulgationem Pontifex proclamat, mysterio declarante, Deo charum sacrorum ordinum collatorem interpretem esse divinæ electionis, eumque non privata gratia eos qui initiantur ad sacrum Ordinem promovere, sed afflatu Dei regi in omnibus Hierarchicis ordinationibus. Hoc modo Moyses, cum esset legalium collator cæremoniarum, fratrem suum Aaron, quantumvis Deo charum, sacerdotioque dignum, non prius ad sacerdotalem Ordinem promovit, quam ad id divinitus excitatus, sub summo consecratore Deo sacerdotalem consecrationem pontificaliter celebraret. Quin imo divinus ille ac primus ordinis nostri collator (hoc enim munus sibi Jesus benignissimus in nostri gratiam assumpsit) non semet ipse clarificavit, ut Eloquia testantur, sed qui locutus est ad eum, *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Quapropter etiam ipse dum ad Ordinem sacerdotis discipulos promovebat, tametsi ut Deus consecrationis auctor existeret, simul tamen ad sanctissimum suum Patrem et Spiritum Dei-principalem præcipuum sacrosanctæ consecrationis munus referebat, præcipiens discipulis, ut Eloquia testantur, *ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent pro-*

Nemo ad sacra promovendus nisi a Deo electus.

Heb. 5.

Ps. 109. 4.

Digitized by Google

missionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum; quia vos baptizabimini Spiritu sancto. Quin et princeps Apostolorum, una cum coæquali sibi ac pontificali decade, ad sacrum illum duodenarium Discipulorum numerum implendum congregatus, summæ divinitati electionis munus reverenter cessit, cum ait, *Ostende quem elegeris;* eumque quem divina sors designaverat sacro illi duodenario Hierarchico annumeravit. Cum autem de divina illa sorte, quæ divinitus super Matthiam cecidit, alii ab aliis, meo quidem judicio, non recte diversa senserint, meam ipse sententiam exponam. Mihi enim videtur Scriptura sortem appellare divinum illud munus, quo declarabatur choro Hierarchico, quisnam divino suffragio electus erat: siquidem divinus Pontifex nequaquam motu proprio sacros Ordines conferre debet, sed ut decet Pontificem eosdem instinctu Dei divinitus celebrare. Act. 1. 4. Ibid. 24.

§. 6. *Quid sibi velit finalis salutatio.*

Porro illa salutatio quæ sub finem sacrarum ordinationum adhibetur, sacri quidpiam innuit. Cuncti enim qui adstant ex sacris Ordinibus, ipseque qui consecravit Pontifex, ita consecratum salutant. Cum enim mens sancta sacrosanctis habitibus et virtutibus, divinaque vocatione ac sanctimonia ad sacri Ordinis consecrationem pervenerit, tum amabilis exsistit æqualibus sanctissimisque Ordinibus, et ad maxime deiformem provecta pulchritudinem amat et ipsa mentes sui similes, et ab iisdem sancte redamatur. Hinc sancta illa mutua consalutatio in sacris Ordinibus celebratur, quæ mentium æqualium sacrosanctam insinuat communionem, amabilemque

Digitized by Google

mutuam lætitiam, quippe quæ deiformem maxime venustatem totius sacri Ordinis conservat.

§. 7. *Cur capiti Pontificis Scripturæ liber imponatur.*

Atque hæc quidem, uti dixi, communia sunt universæ sacrorum Ordinum collationi. Habet vero Pontifex peculiarem illam sacratissimam Eloquiorum supra caput impositionem. Cum enim perfectiva quæque sacri Ordinis vis atque scientia divinis Pontificibus a divino principali ordinumque originali bonitate concedatur, merito Pontificum capitibus Eloquia divinitus tradita imponuntur, quæ continent exponuntque scite omnem Theologiam. Deique cum operationem tum apparitionem, sacrumque sermonem et actionem; unoque verbo, divina omnia sacraque opera ac verba, quæ a beneficio divino-principatu sacro nostro Ordini indulta, ita ut Pontifex deiformis omnis quidem virtutis Hierarchicæ plane particeps existat omnium vero sacro-principalium Eloquiorum et operationum veritatem divinitusque traditam scientiam non tantum per illustrationem accepturus sit, verum etiam in alios, pro cujusque ad res sacras capacitate, transfusurus, nec non perfectissima quæque totius pontificatus munia divinissimis scientiis et sublimissimis anagogis pontificaliter celebraturus. Sacerdotibus autem utriusque pedis inclinatio peculiaris est, præ ordine ministrorum, qui unum tantum genu flectit, atque hoc situ corporis a Pontifice consecratur.

§. 8. *Quid genuflexio unius vel utriusque poplitis.*

Ac flexio quidem designat subjectum accessum ejus qui accedit, et subjicit Deo id quod sancte offertur. Quoniam vero tres sunt sacris operantium, uti sæpe diximus, distinctiones, quæ per totidem sanctissimos ritus ac virtutes, tribus eorum qui ini-

Digitized by Google

tiantur ordinibus præsunt, atque salutarem eorum sub divinum jugum promovent accessum, recte ministrorum Ordo, ut qui tantum vim expiandi habeat, solummodo eorum qui expiantur accessum procurat, eumque divino altari sistit; in quo nimirum mentes quæ expiantur supra mundanam rationem consecrantur. Sacerdotes vero utrumque genu flectunt, quod ii, qui ab iis sancte promoventur, non solum expientur, verum etiam præclarissimis eorum sacrificiis, vita jam anagogice perpurgata, ad contemplandi statum ac veritatem sacerdotaliter perficiantur. Pontifex autem utrumque genu flectens supra caput habet a Deo traditas Scripturas, eosque, quos ministerialis virtus expiavit, et sacerdotalis functio illuminavit, ad eorum quæ conspexerunt sacrorum pro modulo cujusque scientiam pontificio munere provehit, perficitque eos qui promoventur, ut pro captu suo toti Deo consecrentur.

CAPUT VI.

I. De Ordinibus qui initiantur.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prima parte capitis dicit. 1. *Quinam ordines expientur.* 2. *Quinam illuminentur.* 3. *Quinam perficiantur, inter quos sunt Monachi primi.*

Secunda parte tradit quo ritu Monachi consecrentur.

Tertia parte subjungit contemplationem; in quâ exponit. 1. *Cur Monachi non flexis genibus; sed stantes consecrentur.* 2. *Quid sibi velit eorum renuntiatio.* 3. *Quid Crucis signatio.*

Digitized by Google

4. Quid prioris vestis depositio. 5. Quid sacra Communio. 6. Explicat quanam ratione cœlestes ordines expientur.

§. 1. *Quinam ordines expiantur.*

Atque hi quidem sunt sacri ordines eorumque distributiones ac virtutes et operationes atque consecrationes: triplex modo genus ordinum initiandorum superest exponendum.

Dicimus igitur, ordines illos qui expiantur, esse turbas illas quæ a sacris functionibus et consecrationibus segregantur, quarum superius mentionem fecimus: quorum alius quidem a sacris arcetur, quod adhuc a ministris ad vitalem partum verbis obstetricantibus foveatur atque efformetur; alter vero, quod etiamnum ad eam, a qua defecit, vitæ sanctimoniam adhortatoria sermonum bonorum disciplina revocetur; alius autem; quod adhuc contrariis pavoribus ignaviter terreatur, atque potentibus eloquiis corroboretur: alius vero quod adhuc ab operibus perversis ad sacras actiones traducatur; alius, quod jam traductus quidem sit, sed nondum constantiam in divinis immutabilibusque scientiis sit consecutus. Hi enim sunt ordines qui cura ministrorum et purgandi vi expiantur, quos ad hoc ministris sacris suis virtutibus provehunt, ut perfecte purgati, ad illuminantem illustrissimorum sacrificiorum contemplationem et communionem traducantur.

§. 2. *Quisnam ordo illuminetur.*

Medius autem ordo est is qui sacrorum quorumdam aspectu gaudet, atque eorumdem pro modulo suo in omni puritate particeps exsistit, qui luminis accipiendi gratia sacerdotum curæ est commissus. Perspicuum est enim, ut arbitror, hunc ab omni

Digitized by Google

labe nefaria expiatum, et castam atque immobilem mentis suæ sedem adeptum, ad contemplandi scientiam atque virtutem Sacerdotum opera promoveri, divinissimisque, quibus illi fas est, Sacramentis communicare, in quorum contemplationibus communionibusque omni sacro gaudio repletur, et ad divinum eorumdem scientiæ amorem per anagogicas virtutes pro virili suo subvolat. Hunc ergo sanctæ plebis ordinem appello, quippe qui per omnem expiationem eo pervenerit, ut sacrosancto præstantissimorum Sacramentorum aspectu et communione, quantum fas est, dignus sit habitus.

§. 3. *Quisnam ordo perficiatur.*

Summus vero eorum omnium qui perficiuntur est ordo sacer Monachorum, cum et omni piaculo, tota vi, omnique actionum suarum sanctimonia sit expiatus, et omnis mysterii, quod quidem ei fas sit aspicere, spectator particepsque sit factus, traditusque perficienti Pontificum ordini, cujus divinis illustrationibus pontificiisque institutis sacrorum ad se spectantium mysteriorum consecrationes eruditus, ab eorumdem sacra scientia ad perfectissimam pro suo modulo perfectionem evehatur. Hinc sancti præceptores nostri divinis eos appellationibus sunt prosecuti; alii quidem Therapeutas (seu cultores) alii vero Monachos, cum a sincero Dei æmulatu atque cúltu, tum ab individua et singulari vita denominantes, quippe quæ sanctis rerum dividuarum conjunctionibus ipsos ad deiformem quamdam unitatem Deoque gratam perfectionem adducat: qua de causa quoque Lex sancta perficientem eis gratiam indulsit, eisque consecrantem quamdam adhibet invoca-

Digitized by Google

tionem, non quidem Pontificiam, ea enim in solis sacris Ordinibus adhibetur, sed consecratoriam aliquam, quæ a sanctis Sacerdotibus in Hierarchica initiatione secundo loco adhibetur.

II. MYSTERIUM

Monasticæ consecrationis.

Ritus consecrandi Monachos.

Sacerdos quidem stat ante altare, Monasticam sancte recitans invocationem; is autem qui consecratur stat post Sacerdotem, nec utrumque neque etiam alterum genu flectit, nec supra caput habet Scripturas a Deo traditas, sed tantum adstat Sacerdoti supra illum mysticam invocationem prosequenti. Qua finita, Sacerdos ad eum accedens, rogat ipsum primum, an omnibus rebus dividuis renuntiet, non solum vitis, verum etiam imaginationibus. Deinde exponit illi vitam perfectissimam, contestans illum debere mediam vivendi rationem superare. Quæ ubi omnia is qui initiatur continenter professus est, Sacerdos eum signo crucis consignatum tondet, tres personas divinæ beatitudinis invocando, omnique veste detracta, eum alia induit, et cum aliis viris sanctis adstantibus ipsum salutans, participem facit divinorum mysteriorum.

III. CONTEMPLATIO.

§. 1. *Cur Monachi*

Quod neutrum genu inflectat, neque capiti impositas habeat divinitus traditas scripturas, sed assistat Sacerdoti precationem recitanti, declarat, ordinis Mo-

Digitized by Google

nastici non esse, alios adducere, sed penes semetipsum manentem in solitario sacroque statu Sacerdotales ordines sequi, et ab iis, tamquam asseclam eorum, ad divinam sacrorum quæ illum attingunt scientiam facile traduci. *stantes consecrentur.*

Porro divisarum non solum vitarum, verum etiam cogitationum renuntiatio, perfectissimam illam Monachorum philosophiam declarat, quæ ex unificorum mandatorum scientia conflatur. Est enim, ut dixi, non medii ordinis eorum qui initiati sunt Baptismo, sed celsioris omnibus ordinibus. Quamobrem multa ex iis, quæ a medio ordine sine reprehensione fiunt, Monachis istis singularibus omnino interdicta sunt, quippe qui cum uno conjungi debeant, et cum sacra monade copulari, et ad Sacerdotalem, quantum fas est, vitam efformari, tamquam qui præ cæteris initiatis, cum hoc ordine in plurimis conveniunt, majoremque affinitatem habent. §. 2. *Quid renuntiatio eorum significet.*

Signum vero figuræ Crucis ut dictum est, designat omnium carnalium desideriorum privationem. Tonsura porro capillorum, vitam omnino indicat nullatenus fucatam, neque figuris fictis adscititiisve, quibus mentis deformitas tegatur, calamistratam; sed per seipsam non humanis ornamentis, sed singularibus ac unificis virtutibus ad divinam penitus conformitatem evectam. §. 3. *Quid Crucis signatio.*

Prioris autem vestis detractio, et alterius assumptio, significat a media sancta vita ad perfectiorem traductionem, sicut in divina illa regeneratione vestis immutatio declarabat expiatæ vitæ ad contemplandi et intelligendi statum transmigrationem et §. 4. *Quid prioris vestis depositio.*

Digitized by Google

evectionem. Quod si modo quoque tam Sacerdos quam adstantes omnes viri sancti initiatum consalutent, ex hoc sanctam intellige virorum Deiformium societatem, amice sibi mutuo divina cum lætitia congratulantium.

§. 5. *Quid sacra Communio.*

Sub finem denique Sacerdos initiatum invitat ad præcipuam illam Dei communionem, sancte per hoc indicans, eum qui initiatus est, si vere ad Monasticum illud singulare institutum pervenerit, non solum eorum quæ ad ipsum pertinent sacrorum spectatorem fore, nec ea dumtaxat ratione qua medius ordo ad Sanctissimorum Sacramentorum communionem accessurum; verum etiam divina illorum quæ percepit Sacramentorum cognitione fretum, alio modo quam sanctus populus ad divinæ Communionis participationem promovendum. Hanc utique ob causam, sacris etiam Ordinibus, sub finem eorumdem sanctissimæ consecrationis, divinissimæ Eucharistiæ Communio traditur a Pontifice qui illos consecravit; non idcirco solum, quod divinorum perceptio mysteriorum sit summa quædam cujuslibet Hierarchicæ participationis, verum etiam, ut omnes sacri Ordines ipsius, quod communicatur divinissimi muneris pro captu suo participes existant, ad suæ deificationis promotionem atque perfectionem. Conclusum igitur a nobis quod sanctæ quidem initiationes sint expiatio, et illuminatio, et perfectio; ministri vero sint ordinis expiatorii, sacerdotes illustrantis; Pontifices denique deiformes, consummantis. Ordo autem qui expiatur sacrorum aspectu atque communione frustratur, quod adhuc expiationi vacet.

Digitized by Google

Ordo autem cui sacrorum aspectus indulgetur, pius est populus. Ordo autem perfectus est singularium Monachorum. Ita enim Hierarchia nostra ordinibus a Deo traditis sancte digesta, conformis est cælestibus Hierarchiis, dum deiformes notas signaque Deum exprimentia pro viribus conservat.

§. 6.

Sed objices, in cælestibus Hierarchiis non esse ordines qui expientur (nefas enim et falsum est dicere, cælestem quampiam distinctionem esse sceleri obnoxiam) ego vero, nisi a Sanctissima prorsus mente aberrem, omnino affirmarim, cælestes essentias esse penitus, immaculatas, atque supramundiali modo omnem habere puritatem. Nam si quæ in vitium prolapsa sit, continuo etiam a cælesti illa purissimaque divinarum mentium harmonia defecit, et ad obscuram apostaticæ turbæ ruinam pertinet. Sancte tamen etiam fateri liceat, in cælesti Hierarchia, rerum quas hactenus ignorarunt, illustrationem inferioribus naturis esse quamdam velut expiationem, qua et ad perfectiorem rerum divinarum scientiam adducuntur, et a rerum, quarum hactenus scientia caruerunt, ignoratione quodammodo purgantur, dum a primis et divinioribus essentiis ad sublimiores clarioresque divinarum contemplationum illustrationes promoventur: atque ita in cælesti Hierarchia etiam ordines sunt qui illustrantur et qui perficiuntur, sicut qui purgant, et qui illustrant, et qui perficiunt; sic ut naturæ, quæ supremæ ac cæteris diviniores, subordinatas sibi sacras ac cælestes adornationes ab omni quidem ignoratione (modis scilicet cælestibus istis Hierarchiis accommodatis) purgent;

Quænam sint cælestibus ordinibus expiationes.

Digitized by Google

impleant vero ipsas divinissimis illustrationibus, perficiantque liquidissima divinarum intelligentiarum scientia. Etenim jam a nobis dictum est; et ab eloquiis divinis pronuntiatum, non easdem esse omnes cæléstes descriptiones, neque pares in omnibus istis sacris divinarum illustrationum scientiis, sed ex Deo quidem immediate primas, per illas autem rursum ex Deo inferiores, pro ipsarum modulo et captu lucidissimis divini radii splendoribus illuminari.

CAPUT VII.

I. De iis quæ fiunt circa defunctos.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prima parte hujus capitis tradit. 1. *Sanctos ex hac vita lætos decedere futuræ beatitudinis spe plenos; et eorum corpora in resurrectione futura gloriosa.* 2. *Recenset diversorum errores circa mortuos, et assignat rationem, cur tristes moriantur ii qui male vixerunt.* 3. *In morte sanctorum fideles etiam lætari.*

Secunda parte describit ritum, sepeliendi mortuos, sive Ecclesiasticos, sive sæculares fideles.

Tertia parte subjungit contemplationem, in qua exponit. 1. *Quid sibi velit fidelium sepultura.* 2. *Quid Cantica et Lectiones.* 3. *Cur ad sepulturam admittantur ordines qui vacant expiationi, exclusis solis Catechumenis.* 4. *Quid sibi velint preces Antistitis super defuncto, et cur illum salutet.* 5. *Quales promissiones factæ sint defunctis piis; et quid sinus Abrahæ significet.* 6. *Cur pro defunctis oretur; et quibus defunctis preces prosint.* 7. *Ait Antistitem, tamquam Dei interpretem, defuncto promissa a Deo præmia addicere: et ibidem explicat, quem habeat potestatem ligandi et sol-*

Digitized by Google

vendi. 8. *Cur defunctus inungatur.* 9. *Agit de loco sepulturæ; et exponit quid sibi velit illa finalis affusio Unguenti.* 10. *Ait invocationes consecrationis non esse propalandas.* 11. *Disputat, cur infantes adhuc rationis incapaces baptizentur.*

§. 1. *Sanctos ob futuræ beatitudinis spem lætos decedere.*

His ita constitutis, necessario etiam dicendum arbitror de his quæ circa defunctos a nobis sancte fiunt. Neque enim hoc sacris profanisque commune est, sed sicut diversa est utrorumque vitæ forma, sic dum ad mortem pergunt hi quidem qui sanctam vitam traduxerunt, ad veras Dei promissiones intuentes, quarum veritatem quodammodo in resurrectione jam conspexerunt, cum firma et vera spe, gaudioque divino ad mortis terminum, tamquam ad finem certaminum proficiscuntur; quod certe sciant, sua omnia, propter futuram suam resurrectionem, in tuto fore in illa perfecta æternaque vita et beatitudine. Nam sanctæ quidem animæ cum in hac vita degentes adhuc perverti possint, in regeneratione illa ad statum immutabilem Deoque maxime conformem transferentur. Pura vero illa corpora, quæ sanctis animabus copulata cum iisdem simul et ambularunt, et descripta sunt, atque una certarunt, pro divinis sudoribus, in animarum secundum divinam vitam firmitate, sibi quoque propriam resurrectionem sortientur: sanctis enim animabus copulata, quibus in hac vita conjuncta fuerant, ut quæ jam Christi membra facta sint, deiformem et incorruptam, atque immortalem beatamque requiem consequentur. Hinc fit, ut sanctorum obdormitio sit in lætitia cer-

Corpora sanctorum gloriosa resurrectura.

Digitized by Google

tisque spebus, dum ad certaminum divinorum finem venit.

§. 2. *Diversorum errores circa mortuos.*

Profanorum autem alii quidem sine ratione putant, corpora nostra penitus aboleri; alii vero censent, corporeum hoc cum propriis suis animabus conjugium repudio semel dirimendum, tamquam illis in deiformi vita beataque requie parum consentaneum, nequaquam intelligentes, neque scientia divina eruditi, nos jam deiformem in Christo vitam inchoasse. Alii autem animabus aliorum corporum conjugia attribuunt, in quo, mea quidem sententia, quantum in ipsis est, injuriam irrogant corporibus, quæ cum divinis animabus collaborarunt, eademque sacris suis præmiis defraudant, cum divinum cursum consummarint: Alii porro, nescio quo pacto, ad terrenas cogitationes dilapsi dixerunt, præsenti vitæ similem beatis promissam esse sanctissimam beatissimamque sortem, cibosque vitæ variabili proprios iis qui Angelis æquales sunt, nefarie applicuerunt. Sed absit, ut umquam sanctus vir quispiam in istiusmodi errores incidat: verum illi sancti, qui se totos Christiformem sortem percepturos cognoverunt, ubi ad hujus vitæ finem accesserint, viam suam ad incorruptionem, quasi jam propinquiorem factam, intuentes, summi Dei munera collaudant, divinaque voluptate adimplentur, non jam amplius perverti metuentes, sed probe cognoscentes, se bona parta firmiter perpetuoque possessuros. Verum qui iniquitatibus nefariisque sceleribus sunt cooperti, siquidem aliquam sacram hauserint instructionem, eaque ex animo perniciose abjecta ad corruptrices voluptates

Fideles qui male vixerunt cur tristes emoriantur.

Digitized by Google

sponte sua devoluti fuerint, cum jam ad vitæ finem pervenerint, non jam eis Lex divina æque despicabilis apparebit, sed perniciosas passionum suarum voluptates aliis longe oculis aspicientes, sanctamque vitam, quam imprudenter neglexerunt, beatam prædicantes, miseri et inviti ex hac vita decedunt, propter vitam suam pessimam nulla sancta spe fulti.

§. 3. In morte sanctorum lætantur etiam fideles.

Quoniam autem in sanctorum obdormitionibus nihil horum accidit, is qui properat ad finem certaminum suorum sancta quadam lætitia completur, magnaque cum jucunditate sacræ regenerationis iter ingreditur. Propinqui autem ejus qui defunctus est, pro jure divinæ propinquitatis ac morum similitudine, beatum ipsum, uti vere est, prædicant, quod ad optatum victoriæ bravium pervenerit, auctoriqùe victoriæ cantica gratiarum solvunt, atque sibi similem sortem optant: denique assumentes ipsum ad Antistitem portant, quasi sacris coronis munerandum; qui libenter eum suscipit, eaque justa peragit, quæ divino instituto exhibentur iis qui sancte obdormierunt.

II. MYSTERIUM

super his qui sancte obdormierunt.

Ritus sepeliendi mortuos tam Ecclesiasticos, quam laicos.

Coacto cœtu sacro, divinus Antistes, si quidem in sacris fuerat qui obdormivit, ante divinum altare illum inclinans, infit orationem ad Deum et gratiarum actionem; sin autem sanctis Monachis sanctove populo annumeratus fuerat, ad venerandum sacrarium ante Sacerdotum introitum collocat. Præsul

Digitized by Google

deinde peragit ad Deum precem et gratiarum actionem; deinceps vero Diaconi, verissimis de resurrectione promissis, quæ divinis scripturis inserta sunt, recitatis, iisdem consona atque æquivalentia Psalmorum cantica concinunt: tum Archidiaconus Catechumenos dimittit, sanctosque jam defunctos commemorat, quibus recens vita functum consimili commemoratione censet aggregandum, hortaturque omnes, illi ut beatum in Christo finem petant: tum accedens divinus Antistes precem super eo sacratissimam peragit, qua finita, ipsemet Antistes defunctum salutat, et cum illo præsentes omnes. Quo peracto, Antistes defunctum oleo perfundit, et pro omnibus prece facta, honorato loco corpus colloeat una cum æqualibus aliis corporibus sanctis.

III. CONTEMPLATIO.

§. 1. Hæc quidem si aspexerint profani, vel a nobis fieri inaudiverint, profuse, ut existimo, ridebunt, et erroris nostri ipsos miserebitur. Verum non est quod hoc miremur: nisi enim crediderint, juxta Scripturam, non intelligent. Nos interim, intelligentiis eorum quæ geruntur perceptis, prævio duce Jesu dicamus, non abs re Præsulem, eum qui defunctus est in chorum ordinis sui introducere ac recondere: nam sancte declarat, omnes in regeneratione sortes istas obtenturos, ad quas hic vitam propriam direxerint. Ut puta, si quis hic vitam sortitus sit sanctissimam, eamque duxerit deiformem, in quantum nempe Deum imitari quis potest; in futuro sæculo

Quid insinuet sepultura.

Digitized by Google

divino beatoque otio fruetur; sin remissiorem quidem illa deiformi, simul tamen sanctam vitam quis egerit, paria et ipse meritis suis præmia referet. Divinus itaque Antistes pro divina hac justitia gratias agens rem sacram peragit, atque venerandum laudat Dei principatum, quod iniquum tyrannicumque imperium, quo omnes premebamur, exterminarit, et nos ad justissima sua judicia transtulerit.

§. 2. *Quid cantica et lectiones.*

Cantica porro divinarum promissionum ac lectiones explicant nobis sedes illas beatissimas, ad quas ii, qui divina perfectione præditi sunt, promovebuntur; et quæ eum, qui sancte vita functus est, excipiunt, viventes autem ad similem vitæ finem adhortantur.

§. 3. *In sepulturis cur non dimittantur nisi Catechumeni.*

Cæterum observa, quomodo non omnes qui expiationi vacant ordines pro more jam dimittantur, sed soli Catechumeni a sacro choro arceantur, quod nimirum hic ordo sacri omnis mysterii sit expers, neque fas sit illi quidquam sive parvum, sive magnum, eorum quæ sancte peraguntur aspicere, quippe qui necdum ejus virtutis particeps existat, quæ assurgit ad divina contuenda, quam solummodo indulget sacra illa regeneratio, quæ primam lucem confert. Cæteri autem ordines qui expiantur, jam pridem quidem sacris sunt instituti, sed quod stulte in deteriora relapsi sint, cum ad anteriora vitæ suæ rationes extendere debuissent, præcipuis quidem sacris illis divinis, quæ sub sacrosanctis signis latitant, interdicuntur, et ab eorumdem aspectu ac communione merito arcentur: siquidem damnum referrent, si iisdem indigne communicarent, et ad ma-

Digitized by Google

jorem rerum divinarum suique contemptum devenirent. Non incongrue autem admittuntur ad ea quæ hic geruntur, ut perspicue discant et advertant mortis incertitudinem et sanctorum præmia quæ in Scripturis veris celebrantur, quæque illis eorumque similibus impuris hominibus supplicia infinita intentantur: e quibus utique spectaculis forte fructum capient, dum cernent, eum qui sancte obiit ministrorum prædicatione celebrari, ut vere consortem sanctorum qui a seculo sunt, ipsique fortassis consimili desiderio flagrabunt, et ministrorum disciplina docebuntur, quam vere beata sit in Christo consummatio.

§. 4. *Quid sibi velint preces Antistitis super defuncto. Quid salutatio.*

Deinde accedens Antistes precem sacram super defuncto peragit: qua finita, ipsemet Antistes eum salutat, ordineque deinceps suo omnes qui adsunt. Rogat itaque precatione illa divinam bonitatem, ut defuncto peccata omnia dimittat, quæ per humanam infirmitatem contracta sunt, eumque in lucem sanctam ac vivorum regionem transferat, et collocet in sinu Abrahæ, Isaac, et Jacob, in loco a quo dolor et tristitia gemitusque aufugiunt.

§. 5. *Quanta sint promissa sanctis defunctis.*

Hæc utique perspicua, ut arbitror, beatissima sanctorum præmia sunt. Ecquid enim perfectæ immortalitati omni tristitia carenti, luceque plenissimæ conferri valeat? præterquam quod promissiones istæ mente qualibet sublimiores, vel maxime ad captum nostrum accommodatis rationibus expresse earumdem tamen appellationes a reali ipsarum veritate plurimum deficiant. Siquidem Scriptura hæc omnino vera est: *Quoniam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præpara-*

1. Cor. 2. 9.

Digitized by Google

vit Deus diligentibus se. Sinus autem, mea quidem sententia, sunt beatorum Patriarcharum ceterorumque Sanctorum divinissimæ beatissimæque quietis sedes, quæ viros omnes deiformes excipiunt in sua insenescibili beatissimaque consummatione. *Quid sinus Abrahæ.*

Fortassis autem ita quidem inquies recte a nobis dici, dubitare tamen te, cujus rei gratia divinam clementiam Antistes deprecetur, poscens defuncto dari veniam peccatorum, et æqualem deiformibus viris lucidissimam sortem. Nam si quælibet a divina Justitia recipiat retributionem eorum quæ in vita præsenti sive bene sive male gessit, defunctus autem in hac vita suas complerit actiones, quænam Antistitis deprecatio ipsum ad aliam, quam in hac vita meritus est, quietis retributionem transferre possit? Equidem probe scio, Scripturis consentiens, cuilibet pro meritis sortem reddendam esse. Conclusit enim, inquit, Dominus apud se, et referet unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Justorum autem preces etiam in hac vita, nedum post mortem, iis solis prodesse qui sanctis precibus digni sunt, veræ nos Eloquiorum traditiones docent. Numquid Saul a Samuele adjutus fuit? aut Hebræorum populo prophetica precatio quidquam profuit? Etenim ac si quis, Sole sanis oculis lucem suam largiente, solaris lucis particeps fieri petat, erutis sibi oculis; sic ex impossibili et inani spe pendet, quisquis Sanctorum preces flagitat, dum ipsis connaturales exterminat actiones, divina munera negligens, et a clarissimis beneficisque Dei mandatis recedens. Hoc autem Scripturis con- §. 6. *Cur pro defunctis preces fiant.* 1. Cor. 5 10. *Quibus preces prosint.*

Digitized by Google

sone affirmo, perutiles esse in hac vita Sanctorum preces, modo quis sacrorum munerum desiderio incensus, et ad ea suscipienda pie affectus, tenuitatis suæ conscius, virum aliquem sanctum adeat, ac petat ut se adjuvet, ac Deum pro se roget, qua ratione sane maximum ex eo refert emolumentum: potietur enim petitis donis divinissimis, religiosa sua conscientia, sanctorum reverentia et laudabili eorum quæ petit desiderio, et consentanea ac deiformi affectione ipsi suffragantibus. Etenim divinis id decretis stabilitum est, ut divina munera iis, qui eorumdem participatione digni sunt, eo quo Deum decet ordine distribuantur ab illis qui iisdem distribuendis sunt præfecti. Hunc itaque sacrum ordinem si quis violaverit, et infelici elatione seductus, dignum se putaverit divina familiaritate, Sanctosque despexerit, is certe, siquidem indignas Deo ac profanas res postulaverit, intentoque caruerit rerum divinarum desiderio ipsi consentaneo propter imperitam suam petitionem, per se nihil eorum quæ petit impetrabit. De dicta porro precatione, quam Antistes super defuncto facit, divinorum nostrorum præceptorum. traductam ad nos traditionem exponere necesse est.

§. 7. *Antistes ut interpres Dei promissa præmia defunctis postulans.*

Divinus itaque Antistes, ut eloquia testantur, interpres est divinorum judiciorum: angelus enim Domini omnipotentis est Dei: quapropter ex Scripturis divinitus traditis accepit, quomodo iis, qui sancte vivunt, pro cujusque meritis divina clarissimaque vita ab æquissimis istis lancibus retribuatur, divina nimirum clementia, pro bonitate sua, maculas

Digitized by Google

ex humana fragilitate contractas dissimulante, quod nemo, ut eloquia tradunt, mundus sit a sorde. Hæc itaque promissa novit Antistes ex verissimis Scripturis; quare petit illa compleri, indulgerique iis qui pie vixerint sacra præmia, simulque semetipse benigne conformans ad imitationem Dei, non secus aliis quam sibi ipsi dona poscens ac gratias: sciens item promissiones Dei esse infallibiles, præsentibus etiam aperte declarat, illa quæ ab eo jure sacro postulantur, prorsus eventura illis, qui secundum Deum vitam consummarint. Etenim Antistes, cum sit præcipuus divinæ justitiæ præco, numquam postularet ea quæ non essent Deo quam gratissima, et juxta promissiones ejus deiformiter concedenda. Quamobrem defunctis improbis nequaquam istiusmodi precatur, non solum quod interpretis officium in hoc violaret, atque præsumptuose sibi quidquam munerum pontificalium arrogaret, ab auctore mysteriorum minime motus; verum etiam quod impia petitione frustraretur, et a justo prorsus Eloquio etiam ipse merito audiens, *Petitis, et non accipitis, quia male petitis.* Postulat itaque sanctus Antistes ea quæ sunt divinitus promissa, et accepta sunt Deo, omninoque largienda: et affectum benignitatis suæ clementissimo Deo ac præsentibus omnibus aperte declarans, quænam bona sancti adepturi sint insinuat. Eodem modo Antistites habent potestatem segregandi, tamquam interpretes divinarum justificationum; non quod irrationalibus motibus sapientissima divinitas serviliter (ut honeste dixerim) obsequatur, sed quod ipsimet spiritu mysteriorum

Quæ sit potestas data Sacerdotibus ligandi et solvendi.

Digitized by Google

principali, a quo ad interpretandum moventur a Deo, pro meritis judicatos secernant. *Accipite,* enim inquit, *Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quin et ei, qui divinas revelationes a supremo Patre didicerat, dicitur: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum in cœlis,* ita ut ille, omnisque Pontifex illi similis, juxta revelationes paternarum justificationum sibi indultas, quasi interpres ac portitor Deo charos admittat, et impios excludat. Neque enim sanctam illam Dei professionem, ut Eloquia testantur, motu proprio, carneve aut sanguine revelantibus, sed a Deo spiritaliter illum imbuente perdoctus, pronuntiavit. Quare sanctis Antistitibus tam segregandi quam aliis sacris facultatibus utendum, prout ipsis divinorum auctor mysteriorum divinitus inspirarit. Pontifices autem ita ceteris sunt observandi in iis quæ ut Pontifices gerunt, tamquam ipsi a Deo moveantur. *Qui* enim, inquit, *vos spernit, me spernit.*

Joan. 20. 21.

Matt. 16. 19.

Luc. 10. 16.

§. 8. Sed jam ad ea, quæ dictam precationem subsequuntur, veniamus. Ubi Pontifex eam finivit, ipsemet defunctum salutat, ac deinde omnes qui adsunt: omnibus enim viris deiformibus admodum gratus est, et honore dignus, quisquis divinam vitam transegit. Post salutationem vero Pontifex defuncto oleum affundit. Memineris hic, ut in prima illa regeneratione sacra ante sanctum Baptismum, post antiquarum vestium depositionem, ille qui initiatur, in prima sancti

Cur defunctus inungatur.

Digitized by Google

symboli participatione, sacri Chrismatis oleo inungatur; et hic demum in fine omnium defuncto itidem oleum affunditur. Et tunc quidem olei inunctio baptizandum ad sacra certamina evocabat; nunc autem affusum oleum declarat, eum qui defunctus est iisdem sacris certaminibus exactis functum esse.

§. 9. *De loco sepulturæ.*

His peractis, Pontifex defuncti corpus honesto loco recondit una cum ceteris ejusdem ordinis corporibus sacris. Si enim is qui defunctus anima simul et corpore sanctam vitam egit, corpus etiam una cum anima sancta simul in honore erit ac pretio, quod sacris sudoribus una concertaverit. Divina itaque justitia animæ et corpori condigna præmia largitur, tamquam comiti et consorti sive divinæ, sive contrariæ vitæ. Idcirco etiam sanctorum sacra functio divinas utrique participationes elargitur; animæ quidem, in purissima contemplatione et rerum perfectarum scientia; corpori vero sacratissimum Unguentum quasi in imagine per sacratissima divinæ communicationis symbola totum hominem sanctificans, et integram salutem ejus operans, nec non denuntians per universales lustrationes perfectissimam ei fore resurrectionem.

Quid affusio Unguenti designet.

§. 10. *Invocationes consecrationis non esse propalandas.*

Invocationes porro consecratorias nefas est scripto interpretari, et arcanum earum sensum, virtutesque quas in iis Deus operatur, e secreto in publicum efferre: sed, ut nostra sacrosancta traditio docet, ubi eas secretioribus instructionibus hauseris, atque ad habitum sacratiorem atque capaciorem intelligentiam, divino amore sacrisque actionibus consumma-

Digitized by Google

tus evaseris, divina luce collustratus ad supremam earum scientiam subveheris.

§. 11. *Quod infantes rationis adhuc impotes baptizentur.*

Quod autem infantes quoque, qui per ætatem nequeunt intelligere, divinæ regenerationis sanctissimorumque divinæ communionis mysteriorum participes fiant, videtur, ut inquis, hominibus profanis non immerito risu dignum, quod Pontifices eos erudiant qui nequeunt audire, sanctasque traditiones non intelligentibus frustra tradant; neque minus ridiculum est, quod alii pro iis abrenuntiationes sacrasque professiones pronuntient. Verum non oportet tuam sanctam prudentiam errantibus indignari, sed religiose ad eorum institutionem cum charitate rationem reddere, et objectiones eorum solvere; atque illud insuper secundum sacram sanctionem addere, quomodo divina omnia nequaquam nostra intelligentia commensuranda sint, sed plurima quæ nos latent causas habere Deo dignas, quas nos quidem ignoremus, verum ab ordinibus nobis præstantioribus perspicue cognoscantur. Plurima item latent supremas illas sublimissimasque substantias, quæ soli sapientissimæ sapientificæque divinitati nota sunt. Verumtamen hac de re id quoque dicimus, quod deiformes præceptores nostri ab antiqua traditione acceptum nobis transcripserunt. Ajunt enim, quod et verum est, infantes, si in lege sacra instituantur, ad sanctum animi statum perventuros esse omni errore liberos, et sine ullo impuræ vitæ periculo. Hoc enim cum in mentem venisset divinis nostris institutoribus, placuit admitti pueros hoc sancto modo, ut oblati parvuli parentes naturales filium uni ex fide-

Digitized by Google

libus tradant, qui præclare in divinis rebus puerum erudiat, sub cujus deinceps cura sit, tamquam sub Patre divino, sanctæque salutis susceptore. Hunc itaque Antistes, sancte promittentem se puerum ad sanctam vitam informaturum, jubet profiteri abrenuntiationes sacrasque professiones; non enim, ut illi subsannatores ajunt, alium pro alio rebus divinis imbuit: neque enim sponsor dicit, Ego pro puero abrenuntiationes facio, sacrasve professiones, sed hoc modo puerum asserit renuntiare ac profiteri; ac si dicat: Profiteor me huic puero, cum per ætatem intelligere sacra poterit, divinis meis institutionibus persuasurum, ut adversariis nuntium omnino remittat, et divina promissa profiteatur, et exsolvat. Nihil ergo, ut opinor, absurdum est, si ad divinum institutum puer adducitur, cum ducem ac sponsorem habeat qui eum et divinarum rerum scientia imbuat, et ab adversariis tutum custodiat. Porro Pontifex puerum consortem facit sacrorum mysteriorum, ut in eis educatur, neque agat vitam aliam, quam eam quæ divina semper spectet, et hujusmodi sancta communione proficiat, atque in his sacrum habitum possideat, et a susceptore deiformi studiose promoveatur.

Ista, mi fili, tanta tamque præclara Hierarchiæ nostræ spectacula mihi manifestata, sed aliis fortasse mentibus perspicacioribus, non solum hæc, verum etiam alia multo illustriora atque deiformiora perspecta sunt. Quin et tibi quoque, ut opinor, clariores divinioresque pulchritudines collucebunt, si iis gradibus, quos dixi, ad sublimiorem radium conscendas.

Digitized by Google

Communica igitur et tu mihi perfectiorem illustrationem, meisque oculis exhibe præstantiores formas, quæ unius speciem magis exprimant: confido enim, me iis, quæ commemorata sunt, insitas tibi divini ignis scintillas excitaturum.

Digitized by Google

DE DIVINIS NOMINIBUS

CAPUT I.

Sympresbytero Timotheo Dionysius Presbyter.

Quis libri finis, et quæ de Divinis nominibus prodita sint.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Docet, omnem de Deo doctrinam ex Scripturis petendam esse, et ex rebus sensibilibus non posse cognosci quid sint res spirituales, multò minus Deum. 2. De Deo nihil præsumendum dicere nisi ex Scripturis, in quibus Deus sui cognitionem nobis pro captu nostro communicat. 3. Hinc infert, arcanum Dei non temere scrutandum esse, sed ex Scripturis Deum esse laudandum; et simul pandit, quid ex ipsis de Deo discamus. 4. Tradit, nomina divina ut plurimum a divinis providentiis atque emanationibus desumi, et nos in hac vita Deum in ænigmate cognoscere, in cœlis vero clare Deum videri ut in se est, quomodo jam eum concipere non possumus, sed nec statum Beatorum. 5. Ait tamen, Deum ab omni et a nulla re celebrandum esse, per positionem scilicet et ablationem. 6. Deum simul et ἀνώνυμον et πολυώνυμον esse. 7. Quo sensu Deus omni nomine careat, et omni nomine appelletur. 8. Deum non solum a providentiis, sed etiam ab apparitionibus diversimode nuncupari.

Modo, vir beate, post Theologicas informationes ad Divinorum nominum explicationem pro virili me

Digitized by Google

conferam. Sit autem etiamnum nobis Oraculorum sacra lex proposita, ut veritatem ostendamus eorum quæ de Deo dicuntur, *non in persuasilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione virtutis,* quam Spiritus Theologis inspiravit, qua rebus ineffabilibus et ignotis modo ineffabili ignotoque conjungimur secundum eam unionem, quæ vim omnem ac potentiam nostræ aut ratiocinationis aut intellectionis excedit. Universe igitur audendum non est, neque dicere, neque cogitare quidquam de supersubstantiali et abdita Deitate, præter ea quæ nobis in sacris oraculis sunt indicata divinitus. Nam supernaturalitatis ipsius indemonstrabilitas, quæ supra omnem rationem, et mentem, et essentiam est, ipsa est cui supernaturalem scientiam tribuere nos oportet; tantum ad inaccessum illud lumen aspirando, quantum se insinuaverit divinorum ille radius Oraculorum, quo eminentioribus istis rerum divinarum splendoribus sobrietate quadam ac sanctitate contemperamur. Etenim si quid sapientissimæ verissimæque Theologiæ credendum est, pro singularum captu mentium divina revelantur, spectanturque, dum summa Dei bonitas, justitia salutari, rebus mensuratis immensitatem suam divino quodam decore, quod comprehendi nequeat, commensurat. Sicut enim ea quæ sub intelligentiam cadunt per ea quæ sub sensum cadunt comprehendere et contemplari non possumus, neque per ea quæ typis et signis informantur, ea quæ simplicia sunt et typis non signantur, neque per figuras corporum incorporea, quæ neque sensum tactus subire, neque figu-

1. Cor. 2. 4.

Per sensibilia res spiritales cognosci non posse.

Digitized by Google

ram et formam capere possunt: eadem plane ratione veritatis supra substantias est illa suprasubstantialis infinitas, et supra mentes illa supra mentem unitas; et omnibus ratiocinationibus inscrutabile est illud supra ratiocinationem unum; omnique verbo ineffabile est illud supra verbum bonum; unitas effectrix universæ unitatis, et substantia supra substantiam, et mens non cadens sub intelligentiam, ratio non effabilis ratione, intelligentia, nomineque vacans, nullius rei similitudinem habens; quæ quidem causa est ut omnia sint, ipsa vero non est, ut quæ quieseit extra omnia quæ sunt, quemadmodum etiam ipsa de se proprie sciteque hæc effari potest.

Deum excedere omnem intelligentiam.

De hac igitur, ut dictum est, supersubstantiali ac recondita divinitate non est præsumendum dicere, sed neque cogitare quidpiam, præter ea quæ nobis divinitus sacris sunt Eloquiis enuntiata: nam ut ipsa de se in sacris Litteris benigne tradidit, ejus quid sit scientia et contemplatio, est omnibus inaccessa substantiis tamquam ab omnibus superessentialiter excepta. Multos quoque Theologos invenias, non modo illam, quod visum nostrum captumque fugiat laudasse; verum etiam quod indagari nequeat et investigari, nullo scilicet extante vestigio quod ducat ad ejus secretissimam infinitatem. Sed neque tamen eorum quæ sunt quidquam ejus omnino boni exsors existit, quia radium illum supersubstantialem sibi perseveranter insitum cuilibet rei congruis illuminationibus clementer attemperat, necnon ad quantam fas est contemplationem ac communionem similitudinemque sanctas mentes evehit, quæ ad ipsum,

§. 2. *De Deo nihil dicendum nisi ex Scripturis.*

Deus se nobis pro captu nostro communicat.

Digitized by Google

quoad possunt, connitantur, dummodo non sublimius, quam pro eorum captu divina fert illustratio, insolenter aliquid præsumant, nec in præceps perversa propensione labantur, at constanter et irreflexis oculis illucenti radio obtueantur, nec non amore indultis sibi collustrationibus commenso, cum sacra quadam reverentia modeste sancteque sursum evolent.

Arcanum Dei non scrutandum, sed ex Scripturis ad Dei laudes mens excitanda.

§. 3. Eas ergo divinas lances, quæ sanctas omnes ordinum cælestium distinctiones moderantur, imitantes, summæ quidem Divinitatis arcanum illud, quod omnem intelligentiam substantiamque transcendit, a scrutatione vacuis, sacrisque mentis venerationibus, ineffabilia vero modesto quodam silentio prosequentes, fulgoribus, qui nobis e sanctis Eloquiis affulgent, attendamus, quorum deinde luce ad divinos hymnos excitemur, quibus supermundialiter illuminamur, sacrisque laudum canticis formamur ad divina lumina, quæ in iis ad captum nostrum conceduntur, contuenda, beneficumque principium omnis illustrationis, prout ipsum de se in Eloquiis expressit collaudandum. Ut quod omnium sit causa et origo, essentiaque ac vita, et a se dilapsorum revocatio ac resurrectio, divinam vero in semetipsis imaginem obliterantium renovatio ac reformatio, nec non impuro motu nutantium firmamentum, ac stantium securitas, ad se tendentium manuductio, illuminatorum illustratio, perfectorum principium perficiens, deificatorum summa divinitas, simplificatorum simplicitas, unitorum unitas, omnis principii superessentialiter superoriginale principium, atque abditi illius secreti, quoad fas est, benefica commu-

Quænam ex Scripturis de Deo discamus.

Digitized by Google

nicatio, et simpliciter dicendo, vita viventium, essentia entium, omnis vitæ et essentiæ principium ac causa propter suam bonitatem, qua et universa producit ut sint, et continet ne pereant.

§. 4. *Nomina divina plerumque ex emanationibus sumi.*

Hæc ex Scripturis divinis didicimus; et, ut ita dicam, omnem fere sacram Scripturam reperies, ad declarandum nobis Deum, et ad laudandum eum, divina nomina formare secundum divinæ bonitatis emanationes. Hinc in omni ferme Theologica tractatione divinitatem ipsam sancte collaudatam cernimus, ut monadem quidem ac unitatem propter supernaturalis individui sui simplicitatem, ex qua, seu unifica virtute, quid unum existimus, atque dividuis nostris diversitatibus supermundane coagmentatis, ad monadem quandam deiformem, ac Deum imitantem unionem redigimur: ut Trinitatem vero, propter superessentialis fecunditatis in tribus personis manifestationem, ex qua paternitas omnis in cœlo et in terra est, et nominatur: ut rerum vero causam, quod omnia per bonitatem ejus, rerum effectricem, sint producta: ut sapientem quoque ac pulchram, quod res omnes, dum naturam suam servant incorruptam, divinæ omnis harmoniæ sacraque pulchritudinis sint plenæ: singulari autem amore humanum genus complectentem, quod se nobis vere integre in una persona sua communicavit, revocans ad se sibique jungens humanam humilitatem, ex qua simplex Jesus ineffabili modo consistit, ac qui æternus est, temporalem sumpsit accessionem, necnon ad intima naturæ nostræ descendit, qui universum totius naturæ ordinem superessentialiter transcendit;

Digitized by Google

servatis tamen proprietatibus suis prorsus integris et inconfusis. Hæc aliaque quælibet deifica lumina, quæ Scripturis consona sancti nostri præceptores arcana nobis interpretatione tradiderunt, nos quoque hausimus: nunc quidem pro captu nostro, dum velaminibus quibusdam sacris Eloquiorum et Hierarchicarum traditionum benignitas, signis sensilibus res spiritales, substantiisque res supersubstantiales abdit, formasque figurasque rebus forma figuraque carentibus circumdat, nec non supernaturalem, et quæ figuras respuit, simplicitatem dividuorum signorum varietate multiplicat et effingit. At quando incorruptibiles et immortales evaserimus, Christiformem beatissimamque sortem adepti, tum *semper* (uti scriptum est) *cum Domino erimus*, visibilis quidem ipsiusmet Dei apparitionis castissimis contemplationibus pleni cujus lucidissimis splendoribus, non secus ac Discipuli in divinissima Transfiguratione, irradiabimur, intelligibilis vero ejus illustrationis participes secundum mentem passionibus materiaque carentem, radiorum lucidissimorum incognitis beatissimisque coruscationibus, ad diviniorem supercælestium intelligentiarum imitationem, unione quadam intelligentiam superante ipsi conjungemur: nam, ut Eloquiorum veritas habet, *Æquales Angelis erimus et filii Dei, quando erimus filii resurrectionis.* Modo autem, ut valemus, ad divina capienda signis utimur, quibus scilicet ad simplicem et unicam illam intelligibilium spectaculorum veritatem pro captu nostro adducimur, et post omnem nostram rerum deiformium intelligentiam, sedantes nostras intelle-

Modo Deum cognoscimus in ænigmate, in cælo autem facie ad faciem.

1. Thess. 4. 16.

Luc. 20. 36.

Digitized by Google

ctiles operationes, in superessentialem istum radium, quantum fas est, intendimus, in quo cuncti fines omnium cognitionum ineffabili modo præextiterunt quemque nec mente concipere, nec oratione proloqui valemus, neque visu quomodolibet intueri, eo quod sit omnibus exemptus, et eminenter ignotus, ut qui simul omnes omnium cognitionum essentialium, virtutumque terminationes superessentialiter in semetipso anticiparit, cunctis cælestibus intelligentiis eminentior incomprehensa virtute collocatus. Etenim cum notiones omnes sint entitatum, et ad entitates terminentur, is qui omni entitate sublimior est, omnem quoque effugit cognitionem.

Modo Deum ut in se est concipere non valemus.

Cæterum si sermonem omnem cognitionemque transcendat, supraque mentem sit et essentiam, ut qui omnia suo ambitu contineat ac complectatur, et anticipet, quin et omnem captum superet, cum neque sub sensum cadat, neque ejus sit imaginatio, nec opinatio, neque nomen, neque sermo, neque tactus, neque notitia, quomodo de Divinis nominibus a nobis sermo concinnabitur, cum divinitatem illam uti essentia, sic et nomine quovis atque appellatione potiorem esse declaraverim? Utique, ut diximus quando Theologicas descriptiones exposuimus, unum illud, ignotum, supra substantiam, seipso bonum, quod est, trinam inquam unitatem, simul-Deum, simul-bonum, neque verbis eloqui, neque cogitando assequi valemus: quin et sacrarum quoque virtutum cum plusquam ignota illa prælucidaque bonitate conjunctiones, quæ Angelis conveniunt, sive immissiones, sive susceptiones appellandæ sint, et ineffa-

§. 5.

Non solum Deum

Digitized by Google

non capimus, sed nec statum Beatorum

biles sunt, et ignotæ, solisque illis insunt, qui præter Angelicam cognitionem, una cum Angelis eas acceperunt. Mentes itaque deiformes ad Angelorum; quantum fas est, imitationem hacce ratione Deo unitæ (siquidem per omnem mentalis operationis vacationem ejuscemodi deificatarum mentium ad supremum Dei lumen unio exsistit) laudant ipsum propriissime ex rerum omnium ablatione, hoc, ex beatissima illa cum Deo unione supra naturam vere per illuminationem eruditæ, ut Deus omnium quidem rerum causa sit, ipse vero nihil earum existat, sed ab omnibus sit superessentialiter exemptus. Illam igitur divinam supra-quam-substantiam, quodcumque est illa supra-quam-essentia bonitatis, quæ suprà bonitatem est, neque tamquam rationem aut potentiam, neque tamquam mentem, aut substantiam, aut vitam laudibus celebrare fas est ulli qui veritatis, quæ supra omnem veritatem est, sit studiosus: quin imo laudare eam oportet, tamquam ab omni habitu, motu, vita, imaginatione, opinione, nomine, sermone, cogitatione, intelligentia, substantia, statu, fundatione, unione, fine, immensitate, denique ab omnibus quæcumque sunt, superiate abstractam. Quoniam vero ut ipsa bonitas, eo ipso quod est, omnium causa est, providentia Dei, eorum qui dii dicuntur Principis, quæ omnium bonorum principium est, ab omnibus effectis laudanda est; quia et circum ipsam sunt omnia, et propter ipsam, et ipsa est ante omnia, et in ipsa omnia consistunt, et esse eam producit omnia, et facit ut existant, eamque omnia appetunt; spiritalia quidem ac rationalia scien-

Deus proprie laudatur per omnium negationem.

Deus a nulla et ab omni re celebrandus.

Digitized by Google

ter, hisce inferiora, sensiliter; cætera vero vel per motum vitalem, vel substantialem, vel habitudinalem aptitudinem.

§. 6. *Deus simul* ἀνώνυμος *et* πολυώνυμος

Hoc igitur cum scirent Theologi, Deum laudant et tamquam nomine carentem, et ab omni nomine. Tamquam nomine carentem, ut cum ajunt, Deum ipsum in una ex mysticis visionibus symbolicæ apparitionis Dei increpasse eum qui dixerat: *Quod est nomen tuum?* et tamquam ab omni divino nomine abducentem, dixisse: *Quare interrogas de meo nomine? et hoc est admirabile.* An non est hoc vere nomen admirabile, quod est supra omne nomen, quod caret nomine, quod est collocatum super *omne nomen, quod nominatur, sive in hoc sæculo, sive in futuro?* Multorum vero nominum faciunt, ut cum ipsum Deum introducunt dicentem, *Ego sum qui sum,* vita, lux, Deus, veritas; et cum sapientes ipsum Deum omnium effectorem ab omnibus effectis laudant, ut bonum, ut pulchrum, ut sapientem, ut dilectum, ut Deum deorum, ut Dominum dominorum, ut Sanctum sanctorum, ut æternum, ut eum qui est, ut auctorem sæculorum, ut largitorem vitæ, ut sapientiam, ut mentem, ut Verbum, ut cognitorem, ut superiate habentem omnes thesauros omnis scientiæ, ut potentiam, ut potentem, ut Regem regum, ut antiquum dierum, ut non senescentem et immutabilem, ut salutem, ut justitiam, ut sanctificationem, ut redemptionem, ut magnitudine omnia superantem, et ut in aura tenui. Atqui et in mentibus eum esse dicunt, et in animis et corporibus, et in cælo et in terra, et simul in eodem eundem, in mundo, circa

Gen. 32. 29. Judicum 13. 18.

Ephes. 1. 21.

Exod. 3. 14.

Digitized by Google

mundum, super mundum, supracælestem, suprasubstantiam, solem, stellam, ignem, aquam, spiritum, rorem, nubem, per se lapidem, petram, omnia quæ sunt, et nihil eorum quæ sunt.

§. 7. *Quomodo Deus nomine careat, et omni nomine appelletur. 1. Cor. 15. 28.*

Sic igitur ei qui omnium rerum causa est, et supra omnia, congruit carere nomine, et congruunt rursus omnia rerum omnium nomina, ut sit perfecte regnum universitatis rerum, et circa ipsum sint omnia, ex ipso, tamquam ex causa, principio, et fine cuncta pendeant, et ipse sit, ut ait Scriptura, *omnia in omnibus*, vereque laudetur, ut omnia procreans, inchoans, perficiens, continensque, custodia ac domicilium, eademque ad se convertens, atque hæc conjuncte, inviete, excellenter: non enim solum est causa continendi omnia, vitæque ac perfectionis, ita ut ab hac sola, aut ab alia providentia, bonitas, quæ omne nomen superat, nominetur; sed universa simpliciter et incircumscripte in se anticipavit perfectis bonitatis ipsius unicæ et omnium effectricis providentiæ, et ab omnibus rebus apte laudatur, et nominatur.

§. 8. *Deum non solum a providentiis, sed etiam ab apparitionibus diversimode nominari.*

Siquidem Theologi non hæc solum divina nomina celebrant, quæ a providentiis universalibus aut particularibus, aut ab iis quæ providentiam capiunt ducuntur, sed etiam a quibusdam divinis visis, quæ aliquando in sacris templis, aut forte alibi, magistros mysteriorum vel Prophetas illuminarunt, ob multiplicem causam et vim nominant bonitatem divinam, quæ omne nomen omnemque splendorem superat, formasque ei figurasque humanas, aut igneas, aut electri inducunt; et oculos ejus, atque aures, capil-

Digitized by Google

los, facies, manus, scapulas, alas, brachia, posteriora, et pedes laudant; tum coronas, sedes, pocula, et crateras, et quædam alia ei affingunt, de quibus in symbolica Theologia pro virili parte dicemus: modo autem omnibus quæ hujus instituti sunt ex Eloquiis divinis collectis, iis quæ dicta sunt quasi regula quam intueamur utentes, ad spiritalia Dei nomina reseranda veniamus; et, quod in omni Theologia lex semper præcipit, deiformes (ut proprie dicam) contemplationes divina mente intueamur; et sacras aures sacris divinorum nominum interpretationibus adhibeamus, sanctis, sancta, ut divina Scripta tradunt, proponentes, a profanorum irrisionibus illusionibusque illa vindicemus, quin imo illos ipsos, si qui sint homines istiusmodi, a bello, quod hac ex parte cum Deo gerunt, revocemus. Hæc tibi servanda sunt, optime Timothee, juxta sacratissimam sanctionem, ne res divinas coram profanis efferas, aut evulges. Mihi autem det Deus, ut divinitatis, quæ vocari nominarique non potest, multa variaque nomina pro Dei dignitate celebrem, et non auferat sermonem verum ab ore meo.

CAPUT II.

De copulata distinctaque Theologia, et quæ sit divina unio et distinctio.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Docet, nomen boni, pulchri, veri, sapientis, et similia, de tota Trinitate æqualiter prædicari, quia ratione naturæ, quæ in tribus Personis eadem est, Deo conveniunt: et non

Digitized by Google

solum attributa essentialia, sed etiam emanationes ad extra sic prædicari. 2. Illa quæ in Scripturis de Deo copulatim, id est ratione essentiæ, prædicantur, non esse distinguenda; et quæ distincte sive personaliter dicuntur, non esse confundenda. 3. Exponit quænam sint illa quæ copulatim et quæ item distincte prædicentur. 4. Ait, uniones in Deo vocari attributa essentialia, distinctiones vero dici emanationes; et exemplo ob oculos ponit, quomodo tres divinæ Personæ se totis sine confusione unitæ sint. 5. Docet; Personas divinas sola relatione inter se distingui, et Deum totum participabilem esse, et totum non participabilem, explicat rem exemplo. 6. Occurrit objectioni, et ostendit exemplo sigilli, Deum ex parte sua non inæqualiter participari, sed ex defectu participantium id evenire. Et simul docet, opera Christi non esse communia Trinitati, quia ejus Incarnatio non est communis toti Trinitati, sed singularis personæ verbi. 7. Tradit nos res divinas solum a posteriori ex participationibus cognoscere. 8. Docet, quomodo ex Deo sit omnis paternitas et filiatio; et quomodo effectus sint causis suis similes, non contra causæ effectis. 9. Quomodo ratio mysterii Incarnationis omnibus ignota fuerit. 10. Ex sancto Hierotheo ostendit, quomodo Jesu divinitas sit omnia in omnibus, et supra omnia; et quomodo Christus naturam nostram supra naturam participarit. 11. Deum dici multiplicari dum res diversas producit, eum tamen in rebus omnibus unum esse.

§. 1. *Nomen boni, et similia, toti Trinitati competere.* Matth. 19. 17.

Ipsamet bonitas a sacris Litteris celebratur, totam essentiam divinam, quidquid tandem sit, difinivisse atque explanasse. Quid enim aliud ex Eloquiis sacris cognoscimus cum ipsummet Deum tradunt se designando dixisse, *Quid me interrogas de bono? nemo bonus, nisi solus Deus.* Hoc aliis etiam locis a nobis expensum demonstratum est omnia nomina

Digitized by Google

divina Deum decentia non in parte, sed in tota et perfecta, et integra et plena divinitate a Scripturis sanctis laudari, et ipsa omnia imparticipate, absolute, sine observatione ullius differentiæ, universe, ad omnem universitatem ex toto perfectæ, et totius divinitatis referri. Siquidem, ut in Theologicis informationibus meminimus, nisi quis de tota divinitate dicat hoc dictum esse, næ audet ille temere Unitatem, quæ supraquam una et simplex est, distrahere et vituperare. Dicendum est igitur, de tota Deitate hoc accipi oportere: etenim et Verbum ipsum, quod natura bonum est, ait: *Ego bonus sum*, et quidam Propheta divino Numine afflatus laudat Spiritum bonum. Et rursum illud, *Ego sum qui sum*, nisi de tota concedant divinitate pronuntiatum, sed secundum unam dumtaxat partem descriptam contenderint, quomodo illud intelligent, *Hæc dicit qui est, qui erat, qui venturus est, omnipotens;* et illud, *Tu autem idem ipse es;* et illud, *Spiritus veritatis qui est, qui a Patre procedit?* Et nisi divinitatem totam dicant esse vitam quomodo verum est sacrum Verbum quod ait, *Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat:* et illud, *Spiritus est qui vivificat?* Quoniam quoque dominatum totius mundi tota divinitas obtinet, de Deo quidem qui Deum genuit, vel de Deo Filio ne dici quidem possit, ut opinor, quot Scripturæ sanctæ locis in Patre et Filio nomen Dominus celebretur: atqui Spiritus quoque Dominus est. Pulchrum etiam et sapiens de tota divinitate prædicatur, uti et lux, et id quod Deum efficit, et causa, et quæcumque

Matth. 20. 15.
Psal. 142. 10.
Exod. 33. 14.
Apoc. 1. 4.
Psal. 101. 28.
Joan. 15. 26.
Joan. 5. 21.
Joan. 6. 64.

Digitized by Google

tandem sunt totius divinitatis, ad omnem divinam laudem sacræ Litteræ transferunt: summatim quidem, cum dicunt, Omnia ex Deo, fusius vero, ut cum quidam ait, *Omnia per ipsum et in ipso facta sunt;* et, *in ipso cuncta consistunt;* et, *Emittes spiritum tuum, et creabuntur.* Et, ut compendio quis dicat, ipsummet Dei Verbum ait: *Ego et Pater unum sumus; et quæcumque habet Pater, mea sunt, et omnia mea tua sunt, et omnia tua mea sunt.* Et rursum quæ sunt Patris et sua, spiritui divino principali per communicationem unionemque attribuit, utpote divinas operationes, venerationem, scaturientem et numquam deficientem causam, atque distributionem donorum quæ bonum decent. Ac neminem quidem arbitror eorum, qui Scripturis haudquaquam perversis sunt imbuti, negaturum, omnia quæ Deo ratione perfectæ deitatis competunt, toti inesse divinitati. Cum igitur hæc in præsentiarum quidem breviter et ex parte, alibi vero, quantum satis est, sacrorum Eloquiorum testimonio probaverimus ac distinxerimus, quodcumque tandem integrum Dei nomen explicare aggrediemur, ad totam divinitatem pertinere putandum est.

Rom. 11. 36.
Psal. 103. 30.
Joan. 10. 30.
Joan. 17.

Non solum attributa essentialia sed emanationes ad extra de tota Trinitate prædicari.

§. 2. Si quis autem objecerit, nos isto modo contra distinctionem divinitati competentem, confusionem quamdam introducere, næ is, nostro judicio, ejuscemodi objectionis veritatem probare numquam poterit. Nam si talis sit qui omnino sacris Litteris resistat, a Philosophia quoque nostra procul admodum aberit: et nisi illi curæ sit divina sacrarum Litterarum sapientia, quomodo nobis curæ erit ut ipsum ad scien-

Digitized by Google

tiam Theologicam manuducamus? Sin Eloquiorum veritati attendat, nos ista quoque regula luceque freti, ad reddendam pro viribus rationem sine tergiversatione properabimus, dicentes. Theologiam quidem nonnulla copulatim tradere, quædam vero distincte; neque fas esse copulata disjungere, nec distincta confundere, sed Scripturis insistendo pro virili ad divinos esse splendores aspirandum: quoniam inde divinas explanationes, ceu quamdam veritatis regulam pulcherrimam, accipimus, dum quæ ibi sunt recondita, nihil addendo, nihil minuendo, nihil pervertendo, in nobismetipsis conservare nitimur, atque ipsi interim Eloquiorum custodia conservamur, nec non ab iisdem ad eorum observatores defendendos vires accipimus.

Scripturas quædam copulatim, quædam distincte de Deo prædicare

§. 3. *Quænam copulatim dicantur et quæ discrete.*

Nomina itaque copulata in unum in tota divinitate, ut in Theologicis informationibus prolixe ex Scripturis sacris demonstravimus, sunt, supraquam bonus, supraquam Deus, supraquam substantia, supraquam vivens, supraquam sapiens, et quæcumque sunt ablationis secundum exuperantiam; cum quibus numerantur omnia quæ ad rationem causæ pertinent, bonum, pulchrum, existens, vivificum, sapiens, et quæcumque sunt ex donis ejus quæ bonitatem ejus decent, a quibus omnium bonorum causa nominatur. Discreta vero sunt Patris suprasubstantiale nomen, et res, et Filii, et Spiritus sancti, nulla in his facta reciprocatione, nec ulla prorsus communitate introducta. Est præterea discreta ac distincta, perfecta, sicut in nobis, et immutabilis Jesu essentia, et quæcumque sunt mysteria substantialia humanitatis ejus.

Digitized by Google

§. 4. Arbitror autem expedire, ut nonnihil altius resumendo perfectissimus ille divinæ unionis ac distinctionis modus explanetur, quo nobis oratio omnis ita sit aperta, ut varietatem quidem omnem et obscuritatem repudiet, distincte autem ac plane, ordineque quæ propria sunt, quoad ejus fieri potest, definiat. Theologicæ nostræ traditionis Auctores (ut alibi dixi) Divinas quidem uniones vocant abditas istas collocationes plusquam ineffabilis et supra modum ignotæ mansionis, quæ nusquam sese prodit; distinctiones vero, beneficas Dei emanationes et manifestationes, assignantque, Scripturis sacris insistendo, nonnulla dictæ unioni propria, vicissimque distinctioni, propriasque item suas copulationes ac disjunctiones: verbi gratia, in divina unione, seu supersubstantialitate, copulatum quidem unitatis principi Trinitati ac commune est, superessentialis existentia, et supraquam divina divinitas, supraquam bona bonitas, summa omnium ejus quæ supra omnia est totius proprietatis identitas: unitas supra principium unitatis: ineffabilitas, multivocatio, indemonstrabilitas, omnimoda intelligibilitas, omnium positio, omnium ablatio, supra omnem positionem et ablationem, divinarum personarum in seipsis, si ita loqui fas est, mutua mansio, et collocatio, in totum supraquam copulata in unum, et non confusa in parte ulla: sicut lumina lampadum (ut exemplis sub sensum cadentibus et familiaribus utar) quæ sunt in una domo, et tota sunt in se totis vicissim, non permixta, ac per se existunt perfecte inter se mutuo sigillatim distincta, conjuncta in unum discrete, et discreta conjunctim.

Uniones in Deo vocari attributa essentialia distinctiones vero, nomina ab emanationibus desumpta.

Quomodo tres personæ se totis sine confusione unitæ et unum sint. Exemplum.

Digitized by Google

Siquidem in domo cernimus, in qua multæ lampades existunt, in unum quoddam lumen cunctarum lumina coalescere, splendoremque unum individuumque proferre; neque quisquam, ut arbitror, potest unius lampadis lumen ab aliarum ex aere cuncta lumina continente secernere, atque alterum absque altero videre, quod tota totis sine confusione contemperata sint.

Quin imo si quis unam lampadem educat e domo, simul exibit totum proprium lumen, nihil quidquam cæterorum luminum in se ipsa simul trahens, neque aliquid sui illis relinquens: erat enim illorum, ut dixi, totorum ad tota perfectâ conjunctio; mera penitus et nulla ex parte confusa, idque cum esset lumen in corpore, id est aere, et ex materiato igne penderet. Quare supersubstantialem illam unionem longe præstantiorem dicimus, non modo iis quæ in corporibus existunt unionibus, verum etiam illis quæ in animabus ipsis mentibusque contingunt, quas inconfusa et supermundiali ratione obtinent, dum lumina ista deiformia supercælestiáque proportionata sibi participatione per unionem quamdam omnibus eminentiorem, se totis tota participant.

§. 5. *Divinæ personæ sunt distinctæ sola relatione.*

Quin etiam est in superessentialibus Dei nominibus distinctio, qua non tantum (ut dixi) secundum ipsam unionem quælibet præcipuarum personarum impermixta atque inconfusa ponitur, verum etiam ea quæ supersubstantialis illius divinæ generationis sunt, inter se minime reciprocantur. Adeo ut solus Pater fons sit in supersubstantiali Deitate, atque ita Pater non sit Filius, neque Filius sit Pater, sed

Digitized by Google

cuique divinarum Personarum propriæ suæ laudes inviolatæ conserventur. Hæ quidem sunt uniones et distinctiones in illa ineffabili unione et essentia. Quod si vero etiam divina distinctio sit emanatio Bono conveniens divinæ unionis, quæ supraquam unite bonitate Dei multiplicatur: distinctione quidem divina unitæ sunt incomprehensibiles, istæ communicationes, substantificationes, vivificationes, sapientificationes, aliaque istiusmodi omnium effectricis bonitatis munera, secundum quæ ex participationibus et participibus laudantur ea quæ imparticipate participantur. Et hoc commune et copulatum et unum est toti divinitati, participari scilicet ipsam ab unoquoque participantium, et a nullo nulla parte: sicut punctum centri in medio circuli et ab omnibus lineis rectis, quæ sunt in circulo circumpositæ participatur, et sicut multæ figuræ sigilli espressæ archetypum sigillum participant, et in unaquaque figura sigilli expressa totum et idem sigillum est, et in nulla figura secundum ullam partem. Vincit autem hæc exempla, divinitatis, quæ omnium causa est, imparticipabilitas; quoniam ejus nulla est tactio, neque alia cum participantibus mixtionis communio.

Deus se toto participabilis et non participabilis.

At dicet aliquis, sigillum in totis expressis figuris non esse totum et idem. Verum hujus rei non sigillum causa est (totum enim sese illud atque idem unicuique communicat) sed participantium differentia, unius, totius, ejusdemque primitivæ formæ dissimiles reddit effigies: ut si, verbi gratia, subjecta sint mollia, formatuque facilia, leviaque et infigurata, nec reluctantia, nec dura, neque fluxa, et in-

§. 6. *Sigillum non est causa inæqualis participationis, sed materia subjecta.*

Digitized by Google

constantia, figuram nitidam et apertam, ac permanentem habitura sunt: sin autem aliquid dictæ aptitudini defuerit, ea utique causa erit, cur figura minus expressa sit et clara, cæteraque accidant quæ ex participandi ineptitudine solent evenire. Porro in benefica nostri reparatione munus hoc a Deitate distinctum est, quod propter nos ex nobis Verbum, quod supra substantiam est, integram veramque nostram substantiam assumpserit, eaque gesserit tuleritque, quæ humanæ ipsius actionis præcipua sunt et singularia. Hæc enim nulla ratione communia sunt Patris ac Spiritus, nisi forte quis dicat, consilii benigni atque humani communitate, et secundum omnem illam eminentem atque ineffabilem divinam operationem, quam, apud nos existens, is qui immutabilis erat exercuit, in quantum Deus et Dei Verbum. Nos quoque similiter res divinas sermone conjungere distinguereque satagimus, prout ipsæ nimirum in se vel unitæ sunt vel distinctæ.

Opera Christi non esse communia Trinitati.

Sed harum unionum ac distinctionum quascumque in Eloquiis rationes Deo consentaneas reperimus, in Institutionibus Theologicis, seorsum de singulis disserentes, uti potuimus, explicuimus, partim quidem eas vera ratione enodando, et exponendo, atque ita purum ac tranquillum animum perquam lucis Eloquiorum contemplationibus admovendo; partim vero, ceu mysticis, ex divina traditione supra intellectus operationem intendendo. Divina enim omnia, etiam illa quæ nobis apparuerunt, solis participationibus cognoscuntur: porro ipsa, cujusmodi in suo principio suaque sede propria existant, nullus

§. 7.

Nos res divinas ex solis participationibus cognoscere.

Digitized by Google

sensus attingit, nulla natura nullaque cognitio penetrat. Veluti cum arcanum illud superessentiale, vel Deum, vel vitam, vel substantiam, vel lucem, vel Verbum appellamus, nihil aliud quam vel deificas, vel substantificas, vel vivificas, vel sapientificas virtutes intelligimus, quæ ab eo in nos dimanant; ipsum autem omnium mentis operationum cessatione contingimus, cum nullam cernamus divinitatis effectionem, nullam vitam, aut essentiam, quæ plane similis sit causæ illi, quæ cunctis per omnem excellentiam antecellit. Rursum a Scripturis sacris accepimus, Patrem quidem esse originem in divinis, Jesum vero et Spiritum sanctum, quasi Dei prolem, vel, si dictu fas sit, quasi germina divina, floresve ac lumina supersubstantialia existere: quonam autem pacto sese habeant, neque eloqui neque intelligere valemus.

§. 8. *Quomodo ex Deo sit omnis paternitas et filiatio.*

Cæterum hactenus omnis intellectus nostri studium eo tendit, ut intelligat, quomodo divina omnis paternitas et filiatio, ex supra-eminenti omnium Patriarchatu filiique Principatu, tam nobis quam supra cælestibus virtutibus indulta sit, ex qua fit, ut etiam dii deorumque filii ac patres sint ac nominentur mentes deiformes, quibus ejuscemodi paternitas ac filiatio spiritaliter confertur, modo scilicet incorporeo a materia segregato, intellectilique, quo tamen Spiritus divinus, ut supra omnem quæ concipi potest materiæ vacuitatem ac deificationem constitutus, eminentior existit, uti, et Pater Filiusque, ab omni simili paternitate ac filiatione divina eminenter exempti. Non enim est perfecta et absoluta similitudo

Digitized by Google

corum quæ effecta sunt et causarum: quin potius habent quidem effecta causarum, quoad fieri potest, imagines; ipsæ vero causæ ex effectis exemptæ sunt et pro ratione principatus sui supra locatæ ac fundatæ: et ut nostratibus exemplis utar, voluptates ac dolores efficere dicuntur, ut homines lætentur vel doleant, tamen ipsæ nec letantur nec dolent: ignis etiam cum calefaciat et comburat, non tamen comburi et calefieri dicitur. Et si quis vitam ipsam vivere aut illuminari lucem dixerit, mea quidem sententia, non omnino recte locutus fuerit, nisi forte hæc alio modo dicat, quod nimirum abundantius, et secundum essentiam, ea quæ sunt effectuum prius sint causæ.

Effectus similes esse causis, non contra. Exemplo.

Quin etiam, id quod est omnium quæ de Deo dicuntur clarissimum, divina ipsius JESU e natura nostra formatio, et ineffabilis est sermone omni, nullique nota intelligentiæ, etiam ipsi antiquissimorum Angelorum primati. Atque eum quidem viri formam et substantiam assumpsisse, mystice accepimus, sed ignoratur, quomodo ex Virginis sanguine alia quam naturæ lege sit efformatus, quove pacto siccis pedibus, qui corporis molem et materiæ pondus haberent, liquidam perambulaverit fluxamque substantiam, aliaque perfecerit quæ supernaturalem JESU naturam indicant. Verum hæc a nobis etiam alibi satis explicata, et ab inclyto præceptore nostro supra naturæ modum valde celebrata sunt in Theologicis ipsius elementis, quæ ille partim a Theologis sanctis accepit, partim etiam ex solerti Scripturarum indagatione longo exercitio ac tempore comprehen-

§. 9. *Modus incarnationis omnibus ignotus est*

Digitized by Google

dit, partim etiam diviniore quadam inspiratione hausit, ista non discendo tantum, verum etiam divina patiendo assecutus, nec non eorum (si dictu fas sit) compassione, ad illam quæ doceri nequit fidem mysticam atque unionem informatus. Atque ut plurima, eaque beatissima, præclaræ illius mentis documenta paucis subjiciamus, hæc de JESU in Theologicis elementis a se collectis ait.

SANCTISSIMI

Hierothei verba ex Theologicis elementis.

§. 10. *Quomodo Jesu divinitas sit omnia in omnibus, et super omnia.*

Causa omnium, et quæ omnia implet, est JESU divinitas, quæ servat partes toti consentientes; et neque pars neque totum est, et est totum et pars, quatenus omne et totum et partem in seipsa comprehendit et supralrabet, et antehabet. Perfecta quidem est in imperfectis, tamquam principalis causa perfectionis; imperfecta autem in perfectis, tamquam supraquam perfecta et ante perfecta: forma formæ effectrix in iis quæ carent forma, tamquam principalis causa formæ; sine forma in ipsis formis, utpote supra formam substantia totis substantiis insistens impollute, et ab omni substantia supra substantiam abstracta; tota principia et ordines definiens, supra omne principium et omnem ordinem collocata. Rerum est mensura, sæculumque et supra sæculum, et ante sæculum: plena est in iis quæ egent; in iis quæ plena sunt exuberat; ineffabilis est et inexplicabilis, supra sensum, supra vitam, supra substantiam, supernaturaliter habet supernatnralitatem,

Digitized by Google

et supersubstantialiter substantiam excedit. Unde, quoniam ad nostram usque naturam ex humani generis amore se demisit, nostramque vere substantiam assumpsit, summusque ille Deus appellatus est homo (propitiationis profecto illa sunt omnem in intellectum orationemque superantis, quæ modo prædicamus) in his quoque naturam substantiamque superat, quod non tantum sine sui immutatione naturæve confusione nobis sese communicarit, nihil in exuberanti sua plenitudine ex ineffabili exinanitione perpessus, verum etiam, quod novis omnibus magis novum accidit, ea quæ naturæ nostræ sunt, supra naturæ ordinem substantiamque, supra substantiæ modum participarit, nostra omnia ex nobis et supra nos excellenter habens.

Christum naturam nostram supranaturaliter participasse.

Sed de his satis; modo sermonis nostri scopum prosequamur, communia et unita divinæ distinctionis nomina, prout possumus, explicando. Atque ut plane de omnibus deinceps explicemus, distinctionem divinam esse dicimus, quemadmodum dictum est, benignissimas Dei emanationes. Dum enim rebus omnibus ubertim bonorum omnium consortia impertit et infundit, tum conjuncte quidem distinguitur, amplificatur autem unice, multiplexque fit ex uno, nec ab unitate discedit: ut puta, quoniam Deus superessentialiter est essentia, cunctasque producit essentias, secundum illud unum quod est, multiplicari dicitur, dum multas ex se producit entitates; verumtamen in seipso manet in multiplicatione unus, et in emanatione unitus, atque in distinctione perfectus, quod sit ab essentiis omnibus superessentia-

§. 11.

Deus dicitur multiplicari cum multas res producit.

Digitized by Google

liter exemptus, tam singulari productione omnium quam indiminuta suarum indeficientium profusione communicationum. Quin etiam cum quid unum ipse sit, omnique parti et toti, et uni et multitudini, unius sui consortium largiatur, vel ut sic etiam supra substantiam existit unus, cum neque pars sit multitudinis, neque ex partibus totum: nam hoc modo non est quid unum, neque sic unum participat, habetve unitatem; sed longe ab his alia ratione quid unum est, supra unum, quod rebus unum est, et multitudo individua, inexplebilis superplenitudo, omne unum multitudinemque producens ac perficiens atque complectens. Rursus dum ejus deificientia deiformi pro cujusque virtute plures dii fiunt, videtur quidem diciturque unius Dei divisio multiplicatioque, verumtamen ipse est principium istiusmodi divinitatis et eminenter Deus, et superessentialiter unus Deus, indivisus in dividuis, in se unus, et in multis istis neque mixtus neque multiplicatus. Quod cum supernaturaliter intellexisset communis noster ac præceptoris nostri ad divinam illustrationem manuductor, qui multum in divinis rebus exercitatus est, et lux est mundi, hæc in Epistolis suis divino Numine afflatus scribit: *Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra (siquidem sunt dii multi, et domini multi) nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso; et unus Dominus* JESUS CHRISTUS, *per quem omnia, et nos per ipsum.* Etenim in divinis rebus uniones superant distinctiones, et antecedunt, nihiloque minus tamen etiam conjunctæ sunt post unius non abeuntem singula-

Quomodo Deus in rebus omnibus unus sit.

1. *Cor.* 8. 5.

Digitized by Google

remque distinctionem. Has itaque communes unitasque totius divinitatis distinctiones, sive beneficas emanationes, ex nominibus divinis, quæ illas in eloquiis declarant, pro virili nostra parte celebrare conabimur; si hoc primum, uti dictum est, constitutum fuerit, beneficum omne nomen Dei, cuicumque divinarum personarum impositum fuerit, sine discrimine in tota ipsa divina Trinitate accipi.

CAPUT III.

Quæ sit vis orationis, et de beato Hierotheo, de religione et conscriptione Theologica.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Docet, ad Deum accedendum esse per orationem; non quia Deus a nobis abest, sed ut nos Deo mente et spiritu præsentes simus. In oratione enim non tam Deus nobis, quam nos Deo cogitatione appropinquamus. 2. Reddit rationem, cur post sanctum Hierotheum hosce libros Theologicos conscripserit, et simul describit laudes Hierothei, et quomodo una cum Petro et Jacobo interfuerint obdormitioni sanctissimæ Virginis Mariæ, quidque ibidem egerint. 3. Declarat, quam submisse de se ipse scriptisque suis sentiat.

Ac primum, si videtur, perfectum, et quod omnes Dei emanationes manifestat, boni nomen expendamus, invocata Trinitate, quæ boni principium est, et bonum superat, et optimas quasque suas providentias explanat. Oportet enim nos primum orationibus ad ipsam, ut ad boni principium, adduci, ac deinde magis ipsi propinquantes, edoceri optima quæ- §. 1. *Oratio nos ad Deum sublevat.*

Digitized by Google

que munera quæ penes ipsam sunt collocata, nam ipsa quidem præsens adest omnibus, non autem illi adsunt omnia. Sed cum eam sanctis precationibus, et mente tranquilla, et ad divinam unionem accommodata deprecamur, tum demum nos etiam ei præsentes sumus. Ipsa enim nec in loco ita est, ut usquam absit, vel ex aliis ad alia migret. Quin imo dicere, in omnibus rebus ipsam esse, quid minus est ejus infinitate, quæ et excedit et continet universa. Nos ipsos itaque orationibus ad sublimiorem divinorum benignorumque radiorum contuitum comparemus: quemadmodum si lucidissimam catenam e summo cælo suspensam, et huc usque demissam, manibus alternis in anteriora protensis continenter arriperemus, attrahere quidem ipsam videremur, re autem vera, non illam ipsi deduceremus, ut quæ superne et inferne præsens esset, sed ipsimet magis ad sublimiores radiorum illustrium fulgores eveheremur. Aut sicut si navim ingressi, rudentes ex petra quadam ad nos usque porrectos auxilii causa teneremus, non ad nos petram, sed nos ipsos revera navimque ad petram traduceremus. Quemadmodum etiam rursus, si quis stans in navi maritimum saxum impellat, nequidquam saxum illud fixum et immobile movebit, sed se ipse ab illo repellet; quantoque vehementius illud impulerit, tanto longius ab eo removebitur. Quapropter ante omnia, maxime in Theologia, ab oratione auspicandum est, non ut ubique et nusquam præsentem virtutem attrahamus, sed ut divinis commemorationibus invocationibusque nos ipsos illi dedamus atque uniamus.

Nota, Deum etiam esse extra universa.

In oratione non tam Deum nobis quam nos Deo appropinquare.

Digitized by Google

§. 2. *Cur Dion. post S. Hierotheum libros hos scripserit.*

Atque hic fortasse nobis non immerito reddenda ratio sit, cur cum eximius præceptor noster Hierotheus Theologica principia accurate collegerit, nos, quasi illa non sufficerent, et alios, et hunc præsentem tractatum Theologicum conscripserimus. Profecto si consequenter ille omnes tractatus Theologicos ordine digestos edere voluisset, et vel brevissimis expositionibus totius Theologiæ summam explanasset, numquam ea nos insania stoliditasque cæpisset, ut illo vel liquidius vel divinius res istas Theologicas nos penetrare posse putaremus; aut eadem bis repetendo, superfluo cassoque labore nos vellemus fatigare, tantamque amico et præceptori nostro injuriam irrogare, ut præstantissimam ejus, a quo post divinum Paulum imbuti sumus, scientiam et expositionem nobis per plagium usurparemus. Sed quoniam ille res divinas vere graviter explicans, compendio nobis subtiles aliquot definitiones tradidit, quæ in unum multa conglomerant, jussus sum, una cum collegis meis, qui animabus adhuc rudioribus imbuendis vacant, subtiles istas ac singulares conclusiones, in quibus maxime spiritalis tanti viri virtus enituit, sermone magis ad captum nostrum accommodato explanare atque digerere; quin et ipse tu quoque nos frequenter ad hoc hortatus es, ipsumque librum ut perquam sublimem nobis remisisti. Quapropter nos quoque, ceu perfectorum seniliumque sensuum magistrum, alterasque Scripturas, quæ divinitus afflatorum scripta proxime assequantur, iis qui sublimiora capiunt illum assignamus; nos vero nostri similibus ad captum

S. Dionysii de Hierotheo testimonium laudabile.

Digitized by Google

nostrum res divinas explanabimus. Si enim solidus cibus perfectorum est, eo etiam alios pascere quantæ sit perfectionis? Merito itaque dicimus, ad spiritalium Eloquiorum intuitionem, et subtilem eorumdem eruditionem, virtute senili opus esse; sermonum vero introductoriorum, ceu inferioris notæ, scientiam ac disciplinam initiantibus atque initiatis convenire. Atqui et hoc a nobis perquam studiose observatum est, ne quidquam eorum, quæ divinus ille præceptor plane nobis expressit, ullo modo attingeremus; ne secundo eadem repeteremus quæ ad Scripturam aliquam elucidandam ipse tradiderat: nam etiam apud ipsos divino Spiritu plenos Antistites nostros (cum et nos, ut nosti, et ipse plurimique sanctorum fratrum nostrorum, ad corpus illud, quod dedit principium vitæ, Deumque susceperat, contuendum venissemus; aderat autem et frater Domini Jacobus, et Petrus, suprema ista atque antiquissima summitas Theologorum, placuissetque post contuitum Antistitibus omnibus, pro virili cuique sua, infinita potentia præditam divinæ imbecillitatis bonitatem collaudare) ipse post Theologos, ut nosti, cæteris omnibus sacris laudatoribus antecellebat, totus excedens, totus se deserens, rerumque quas laudabat consortium patiens; denique ab omnibus, a quibus audiebatur ac videbatur, tam a notis quam ignotis, divino numine afflatus divinusque plane laudator censebatur. Sed quid tibi, quænam ibi divinissime dicta sunt, refero? Etenim, nisi me mei capiat oblivio, memini me sæpius divinarum istarum laudationum partes aliquas abs te accepisse; tantæ tibi

S. Dionys. cum Hierotheo et Petro et Jacobo quid egerint circa defunctæ Deiparæ corpus.

Digitized by Google

curæ fuit, ne unquam perfunctorie divina prosequereris.

Verum ut ista mystica, quippe vulgo non promulganda, tibique notissima, missa faciamus; quando jam tempus erat, quamplurimis hominibus fidem nostram promulgandi, et quotquot adduci possent, ad sacram disciplinam nostram attrahendi, non paucos hoc in munere Doctores sanctos superabat cum usu temporis, tum mentis puritate, tum acumine demonstrationum, cæterisque sacris institutis, adeo ut numquam tanto Soli conati simus obtueri. Ita enim nobis conscii sumus, imo scimus, nos rebus divinis intelligendis minime sufficere, nedum, quod ineffabiles sint, ut cognitæ essent eloquendis. Cum autem in Theologica veritate explananda a virorum divinorum facultate procul absimus, eo etiam præ religionis abundantia deducti sumus, ut de divina Philosophia nihil vel audire vel loqui præsumeremus, nisi intellexissemus, non esse rerum divinarum, quam assequi possumus, negligendam scientiam. Atque id non solum naturalia mentium desideria, quæ amanter semper, quantum fas est, ad divinarum rerum contemplationem excitantur, verum ipsa quoque præstantissima legum divinarum institutio persuadet; quæ, ut ea quæ supra nos sunt, meritaque nostra excedunt, et captum superant curiosius investigare vetat, ita jubet omnia, quæ permissa nobis et indulta sunt, assidue addiscere, benigneque aliis communicare. His itaque adducti, neque labore neque ignavia a licita rerum divinarum scrutatione deterriti, ne pro modulo nostro illos,

§. 3.

Humilis Dionysii de se opinio.

Digitized by Google

quibus sublimiora nobis contemplandi facultas deest, adminiculo destitutos pateremur, ad scribendum animum appulimus, nihil quidem novi adferre præsumentes, sed minutioribus dumtaxat quibusdam singularum partium observationibus, ea quæ a vere Hierotheo subtili sane compendio tradita sunt, distinguentes atque explanantes.

CAPUT IV.

De bono, luce, pulchro, amore, ecstasi, zelo; et quod malum neque ens sit, neque ex entibus, neque in entibus.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Docet, bonitatem esse primum Dei attributum, et divina bonitate cuncta consistere. 2. A bonitate esse Angelorum ordines ac functiones; item animas earumque facultates; similiter res animatas et inanimatas. 3. Bonitatem esse super omnia, atque illa ipsa quæ non sunt vocare ut sint. 4. Bonitatem hanc esse causam quod sint cœli, atque illorum motus; Solem autem esse imaginem divinæ bonitatis, et ad se cuncta convertere. 5. Docet, cur Deus lumen appelletur. 6. Deum esse lumen intellectile, et quanta sit ejus excellentia et vis. 7. Tradit, quomodo Deus dicatur pulcher et pulchritudo, et unde ac qua ratione sic appelletur; et quomodo anticipet rerum omnium pulchritudinem ut causa, et ex hac ejus pulchritudine omnes existant congruentiæ. 8. Spiritus Cœlestes triplici motu cieri. 9. Iisdem motibus pro captu suo nostros animos moveri. 10. Omnia per pulchrum et bonum conservari, omniaque pulchrum et bonum appetere. 11. Nomen amoris etiam in Scripturis usurpari, et non tam verborum quam significationum rationem habendam esse. 12. Scripturas aliquando nomen amoris nomini dilectionis anteferre, et vulgus nomen amoris spiri-

Digitized by Google

talis non capere. 13. *Amorem ecstaticum esse et zelotem.* 14. *Quomodo Deus sit amor et dilectio, et amabilis et dilectus; et qualis sit divini amoris circulus.* 15. *Ex Hierotheo docet, quomodo omnis amor sit unitivus.* 16. *Distribuit ordines amoris.* 17. *Ostendit, quomodo divinus amor ex Deo, per Deum, in Deum revolvatur.* 18. *Objicit, cur dæmones non expetant pulchrum et bonum, et petit quid sit malum, et unde.* 19. *Respondet, malum non esse ex bono, et quidquid est, bonum esse, virtutem autem vitio contrariari.* 20. *Malum qua malum ad nihil utile esse; et quidquid existit secundum boni participationem, esse id quod existit: et vitia præ se ferre quandam boni speciem sub qua appetuntur: et malum purum non existere, sed bono mixtum.* 21. *Malum non esse in rebus, et dualitatem non principiare, sed unitatem et bonum esse pacificum: malum autem nec ex Deo nec in Deo esse.* 22. *In Angelis quoque non esse malum.* 23. *Quin nec dæmones natura sua malos esse, sed per defectum Angelicorum bonorum; illos autem non perdidisse vires naturales.* 24. *An, et quid in animis malum sit, disserit.* 25. *Nec in brutis ait quidem malum esse.* 26. *Nec in rerum natura.* 27. *Nec in corporibus.* 28. *Nec in materia prima.* 29. *Sed nec privationem per se esse malam.* 30. *Exponit, quid sit bonum et malum, et unde.* 31. *Bonorum causam ait esse unam, malorum vero multas; et ex bono et propter bonum esse omnia.* 32. *Malum tantum esse per accidens; et simul tradit, quid sit malum, et quid possit.* 33. *Discutit, quomodo extante providentia sunt aliqua mala, et ostendit providentiam rerum naturas servare inviolatas.* 34. *Ait malum non esse rem aliquam, neque potentiam, sed defectum.* 35. *Inscitiæ peccatum quale sit, et quid in peccato pœna dignum.*

§. 2. *Bonitas primum*

Age ergo, jam ad ipsum nomen boni progrediamur, quod exempte ab omnibus divinitati supra divinita-

Digitized by Google

Dei attributum. tem attribuunt Theologi, vocantes, ut arbitror, bonitatem ipsam essentiam divinam, divinitatis * originem: et quia sic essentia sua bonus est Deus, ut tanquam substantiale bonum, bonitatem in omnia porrigat. Quemadmodum enim Sol ille noster non cogitatione aut voluntate, sed eo ipso quod est, illuminat universa quæ quoquo modo lucis ejus sunt capacia: sic etiam ipsum bonum (quod non secus præstat soli quam primæva species imagini obscuræ) ipsamet substantia sua, rebus omnibus, pro cujusque captu, totius bonitatis suæ radios affundit. His constiterunt omnes intellectiles ac intelligentes substantiæ, et virtutes, et operationes; horum virtute sunt, vitamque habent sempiternam et indeficientem, ab omni corruptione ac morte, et materia generationeque liberæ, nec non ab instabili fluxaque, quæ in diversa diversimode fertur permutatione semotæ, et tanquam incorporeæ et immateriales intelliguntur, et ut mentes supermundialiter intelligunt, atque propriis rerum rationibus illustrantur; rursumque in ea quæ illis cognata sunt sua munera derivant. Mansionem quoque a bonitate habent: quin et earum firmitas hinc, et stabilitas, et conservatio, bonorumque pabulum pendet; et dum illam appetunt, tam ut sint, quam ut bene sint, obtinent, nec non illi, quantum fas est, conformantur, atque boni speciem præ se ferunt, et, juxta legis dictamen, inferiores suos donorum ex summo bono promanantium participes reddunt.

* Scilicet creatæ seu participatæ.

Bonitate Dei omnia consistunt

§. 2. *A bonitate est ordi-* Inde illis ordines supermundiales, earum inter se conjunctiones, mutuæ susceptiones, inconfusæ distin-

Digitized by Google

ctiones, virtutes istæ quibus inferiores adducuntur ad superiores, providentiæ superiorum circa inferiores, cujuslibet virtutum suarum conservationes, et immutabiles in semetipsas revolutiones, eadem atque summa summi boni desideria, et quæcumque alia in Tractatu de Proprietatibus atque ordinibus Angelorum a nobis sunt commemorata; quin imo etiam quæ ad cælestem Hierarchiam spectant, ut Angelicæ lustrationes, supermundanæ illuminationes totiusque Angelicæ perfectionis consummatio, ex universali causa fontalique bonitate proficiscuntur, ex qua etiam ipsamet forma bonitatis ipsis data est, concessumque, ut latentem in se bonitatem valeant enuntiare, sintque Angeli velut interpretes divini silentii, et tamquam clara lumina, quæ in adytis latentem indicant. Præterea post sacras istas sanctasque mentes, animæ quoque ac quælibet animarum bona sunt per bonitatem illam, quæ omne bonum superat: inde provenit, illas intellectu præditas esse, vitam habere substantialem, corruptionis expertem, ut esse habeant cum Angelis commune, possintque ad eorum vivendi rationem aspirare, quorum ductu optimo ad bonorum omnium summum bonum promoveantur, atque ex eodem promanantium illuminationum pro captu suo participes evadant, donique boniformis, quantam possunt, sortem accipiant, et quæcumque alia in tractatu de Anima sunt a nobis enumerata. Porro, si de animabus quoque ratione carentibus animalibusve loquendum, quæ vel aerem tranant, terramve permeant, aut humi reptant, vel in aquis vitam agunt, aut amphi-

natio Angelorum.

Similiter eorum functiones

A summo bono sunt animæ earumque facultates.

Similiter animalia et inanimata.

Digitized by Google

bia sunt, vel sub terra recondita, atque in caverna vivunt, vel quæcumque simpliciter anima sensili vitaque præstant, hæc utique omnia etiam per eamdem bonitatem et animantur, et vivificantur. Plantæ similiter omnes ex eodem bono nutritivam motabilemque vitam habent; denique substantia quæcumque anima vitaque caret, per illud ipsum bonum existit, a quo et statum suum substantialem obtinuit.

§. 3. *Bonum est super omnia, et vocat etiam ea quæ non sunt ut sint.*

Quod si autem supra res omnes sit (uti vere est) bonum ipsum, et quod informe est, format: et in ipso solo id quod substantia caret, substantiæ est excellentia; quod inanime est, vita est præstantissima; et quod mentis expers est, suprema est sapientia, et quæcumque in bono sunt, rerum sunt informium supereminentis efformationis: et, si dictu fas sit, illud ipsum quod non est, illius quod supra res omnes est, boni desiderio tenetur, quin etiam in bono vere supersubstantiali per omnium ablationem esse contendit.

§. 4. *Bonum est causa quod sint cæli et motus eorum.*

Sed, quod in medio præterlapsum nos effugerat, cælestium etiam principiorum et subterminationum causa est bonum, item substantiæ hujus cælestis quæ non augetur neque minuitur, et penitus non variatur, et motuum cælestis curriculi vastissimi, non sonantium, si ita loqui oportet, et ordinum stellarum, et pulchritudinum, et luminum, et infixionum earum, et multiplicis cursus vagantis quorumdam siderum,

Gen. 1. et duorum luminarium, quæ Scriptura vocat magna, circuitus, et eodem, unde profecta sunt, reversionis, quibus apud nos dies et noctes distinguuntur; et menses atque anni definiti ipsos motus temporis, et

Digitized by Google

eorum quæ in tempore sunt, circulo confectos distinguunt, numerant, ordinant, et continent. Quid autem dicatur de ipsomet radio solis? a summo enim bono lumen proficiscitur, et imago bonitatis est: quamobrem nomine luminis bonum laudatur, tamquam appareat primum exemplar in imagine. Sicut enim bonitas divinitatis quæ supra omnia est, a supremis et provectissimis substantiis usque ad extremas pervadit, et adhuc supra omnes est, ita ut neque superiores usque ad illius excellentiam pertingant; nec inferiores ejus ambitum pertranseant; quin potius omnia quæ illuminari possunt illuminat, et creat, et vitam dat, et continet, et perficit, et mensura est eorum quæ sunt, et ævum, et numerus, et ordo, et complexus, et causa, atque finis; sic etiam ingens iste, et totus splendidus ac semper lucens sol, imago expressa est divinæ bonitatis, quatenus tenuissimum quid illius boni in eo procul resonat, et omnia quæ eum participare possunt illustrat, et lumen habet supra extensum, quod in universum mundum qui cernitur, tum superiorem, tum inferiorem, splendore radiorum suorum multiplicat: et si quid eum non participat, non est in causa imbecillitas aut tenuitas facultatis illuminandi, sed potius rem ipsam non esse expeditam ad participationem luminis, quia non sit idonea ad admittendum illud. Ac revera multa sic sunt, quæ radius solis prætergressus, illa quæ ultra sunt illuminat; et nihil est eorum quæ cerni possunt, quo non pertingat sol ingenti vi splendoris sui. Quin etiam ad ortum corporum sub sensum cadentium confert, et ea movet ad vitam,

Est et causa luminis, et rerum omnium.

Sol est imago divinæ bonitatis.

Sol omnia illuminat et perficit.

Digitized by Google

nutrit, auget, perficit, et purgat, ac renovat; et mensura est ac numerus tempestatum ac dierum, et omnis nostri temporis: hoc enim est illud lumen, tametsi tunc non erat figuratum, quod dixit divinus Moyses distinxisse illud primum dierum nostrorum triduum. Atque ut omnia bonitas ad se convertit, primaque, quæ dispersa sunt, colligit, tamquam unifica divinitas et principium unitatis, omniaque ipsam ut principium, ut complexum, ut finem appetunt; bonumque illud est (ut Scriptura sacra testatur) ex quo omnia constiterunt, et veluti a perfectissima causa producta sunt, et in qua consistunt universa, tamquam in fundo cuncta continente custodita, contentaque; et ad quod omnia, tamquam ad finem quæque suum, convertuntur, quodque appetunt universa, spiritalia quidem rationeque utentia scienter, sensilia vero sensiliter; quæ autem sensus sunt expertia, innato motu vitalis appetitionis, et quæ vita carent, ac tantummodo existunt, vi quadam ad solius essentiæ participationem propensa sunt. Eadem clarissimæ similitudinis ratione lux quoque colligit convertitque ad se omnia quæ videntur, quæ moventur, quæ illustrantur, quæ calescunt, quæque universim radiis ejus perstringuntur: unde ἥλιος seu sol, nomen habet, quod omnia faciat ἀολλῆ, id est, omnia servet salva, et congreget dispersa: Et omnia quæ sentiendi vim habent eum appetunt, vel ut videant, vel ut moveantur, et illuminentur, et calescant, et denique ut contineantur, et conserventur a luce. Non hoc dico, ut Antiquitas existimabat, quod sol sit Deus, et auctor universi, qui hunc mundum,

Bonum est congregativum, et ad se omnia convertit.

Sic etiam lux.

Digitized by Google

quem cernimus, proprie gubernet, sed potius, quod *invisibilia Dei, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas.* Rom. 1. 20.

Verum de his in symbolica Theologia. Nunc autem intellectile boni a luce nomen nobis celebrandum est, et dicendum, quod is qui bonus est, lux intellectilis dicitur, quia omnem mentem supracælestem implet lumine intellectili; omnem autem ignorantiam et errorem ex omnibus animis, in quibus est, ejicit, et ipsis omnibus lumen sanctum impertit, eorumque oculos mentales a caligine ex ignorantia circumfusa repurgat, et liberat, et excitat, atque aperit multa gravitate tenebrarum compressos et clausos: datque primum quidem mediocrem splendorem, deinde, tamquam degustato lumine, et oculis jam magis post degustationem lumen appetentibus, magis se impertit, et copiosius fulget, Quia dilexerunt multum: ac semper eas ulterius provehit proportione studii earum ad aspiciendum sursum. §. 5. *Cur Deus lumen appelletur.* Luc. 15.

Lumen igitur intellectile dicitur illud bonum quod est supra omne lumen, tamquam fons radiorum et effusio luminis inundans omnem mentem supramundanam, et circummundanam, et mundanam ex plenitudine sua illuminans, et totas earum facultates intelligendi renovans, et omnes continens, quatenus supra omnes tenditur; et omnibus antecellens, quatenus supra omnes stat, atque simpliciter omnem principatum illuminandi, tamquam princeps luminis, et supraquam lumen in se comprehensum habet, et supraquam habet, et præhabet, atque omnia ratione §. 6. *Deus lumen intellectile; ejusque præstantia ac vis.*

Digitized by Google

et mente utentia congregat, et in unum copulat. Etenim sicut ignorantia errantes dirimit; sic adventus luminis congregat et copulat illuminatos, perficitque eos, et ad id quod vere est convertit, a multis opinationibus eos revocans, ac varios aspectus, vel, ut magis proprie dicam, varia in unam veram et puram ac simplicem cognitionem contrahit, et uno lumine unifico implet.

§. 7. Deus etiam dicitur pulcher et pulchritudo.

Hoc item bonum laudatur a sacris Theologis ut pulchrum et ut pulchritudo, et ut dilectio et ut dilectum, et quæcumque alia sunt divina nomina, quibus ipse speciosus decor et effector pulchritudinis decenter nominatur. Pulchrum autem et pulchritudo non sunt distinguenda in causa quæ universa in uno complexa est: hæc enim in omnibus rebus, in participationes et in participantia dividentes, pulchrum quidem dicimus, quod pulchritudinis particeps est; pulchritudinem vero, participationem causæ omnia pulchra efficientis. Ipsum autem pulchrum superessentiale pulchritudo quidem appellatur, propter illam pulchritudinem quam rebus omnibus pro cujusque modulo communicat, in quantum est causa omnis pulchritudinis ac venustatis, dum rebus omnibus pulchrificas fontalis sui radii distributiones lucis in morem afflat, omniaque ad se καλεῖ, id est vocat (unde et κάλλος, id est pulchritudo, dicitur) et tota in totis quasi in se colligit. Pulchrum vero vocatur, quod ex omni parte pulchrum sit et plus quam pulchrum, et tamquam semper existens, secundum eadem et eodem modo pulchrum, neque factum, neque destructum, neque augescens, neque

Unde et qua ratione sic appelletur.

Digitized by Google

decrescens, nec ex parte una pulchrum, et ex alia turpe, neque alias quidem pulchrum alias vero non; neque ad hoc pulchrum, et ad illud inconcinnum; neque hic quidem ita, alibi vero alrter, nec ut aliis formosum, aliis vero deforme; sed ut ipsum secundum se, atque secum uniforme, semper existens pulchrum, atque fontanam universi pulchri pulchritudinem in seipso eminenter anticipans, præhabensque. In ipsa enim natura simplici ac supernaturali pulchrorum universorum omnis pulchritudo, et omne pulchrum uniformiter secundum causam præexistit. Ex hoc ipso pulchro rebus omnibus obtingit, ut sint singula secundum propriam rationem pulchra; et propter pulchrum sunt omnes congruentiæ, et amicitiæ, et communicationes; et per pulchrum cuncta conjunguntur; atque pulchrum est omnium principium, ut causa efficiens, et movens, et universa propriæ pulchritudinis amore continens; et ut finis omnium, atque id quod appetitur tamquam causa finalis (nam pulchri gratia cuncta fiunt) et exemplaris, quia secundum illud omnia definiuntur. Quamobrem idem est pulchrum atque bonum, quoniam omnia secundum omnem causam pulchrum et bonum appetunt; et nihil est in rerum natura, quin pulchrum et bonum participet. Audebo etiam hoc dicere, quod non est pulchrum et bonum participare: tunc enim est ipsum pulchrum et bonum, quando in Deo laudatur supra substantiam, auferendo universa. Denique hoc unum bonum et pulchrum singulariter est omnium multorum pulchrorum et bonorum causa. Ex hoc rerum omnium substantiales existentiæ, unio-

Deus anticipat rerum omnium pulchritudinem ut causa.

Ex hac pulchritudine sunt

Digitized by Google

omnes congruentiæ.

nes, distinctiones, idemtitates, diversitates, fœdera contrariorum, rerum unitarum impermixtiones, providentiæ superiorum, mutua consortia rerum quæ sunt ejusdem ordinis, conversiones inferiorum omniumque suimetipsorum conservatrices immutabilesque mansiones ac firmitates. Et rursus omnium in omnibus pro cujusque proprietate communiones, et congruentiæ, inconfusæque amicitiæ, et consensiones universi, nec non rerum in hoc universo contemperationes, indissolubilesque complexus, et eorum quæ fiunt perpetuæ successiones, status omnes, motusque mentium, animorum, corporum: status enim est omnibus atque motus, quod omni statu motuque superius extans, rem quamlibet in propria ratione firmat, et ad propriam dirigit motionem.

§. 8. *Spiritus cœlestes triplici motu moventur.*

Denique divinæ mentes dicuntur moveri circulariter quidem, dum principio fineque carentibus pulchri bonique splendoribus uniuntur; directe autem, quando ad inferiorum providentiam procedunt, recte omnia dirigendo; oblique vero, dum inferioribus consulentes in eodem statu perpetuo manent, circum bonum et pulchrum, ejusdem status causam, semper se versantes.

§. 9. *Similiter et animi nostri.*

Animi autem motus orbicularis est ejus ab extraneis in semetipsum introitus, spiritaliumque ipsius facultatum unimoda inflexio, quæ quasi in circulo fixum et ab omni errore liberum motum ei tribuit, et a multis rebus extraneis ipsum convertit ac colligit primum ad se, deinde, quasi jam unius modi effectum, conjunctis uno modo facultatibus conjungit, atque ita demum ad pulchrum ac bonum manudu-

Digitized by Google

cit, quod supra omnia quæ sunt et unum et idem, et sine principio et sine fine est. Oblique vero cietur animus, quando pro captu suo notionibus divinis illustratur, non spiritali quidem unito modo, sed cogitando et discurrendo quasi permixtis fluxisque actionibus. Directe vero movetur, quando non ad seipsum ingreditur, neque singulari motu spiritali fertur (nam hic motus circularis est, ut dixi) sed ad ea quæ ipsi vicina sunt progreditur, et a rebus externis, non secus ac signis quibusdam variis ac multiplicibus, ad simplices et unitas contemplationes revocatur.

§. 10. *Omnia sunt et conservantur per pulchrum et bonum.*

Harum igitur trium, uti et sensilium, in hac rerum universitate motionum, statuumque ac firmitatum causa, et conservatio, et finis, est bonum illud pulchrum, quod est supra statum omnem ac motum, per quod, et ex quo, et ad quem, et cujus gratia, status omnis ac motus existit. Etenim ex ipso, et per ipsum, et substantia, et vita omnis, et mentis et animæ, atque universæ naturæ parvitates, æqualitates, magnitudines, mensuræ omnium, et rerum proportiones, et concentus, et concretiones, tota, partes, omne unum, et multitudo, conjunctiones partium, omnis multitudinis copulationes, perfectiones totorum, quale, quantum, quam magnum aut parvum, infinitum, comparationes, separationes, omnis infinitas, omnis finis, definitiones, ordines, excellentiæ, elementa, formæ, omnis substantia, omnis facultas sive potestas, omnis actio, omnis habitus, omnis sensus, omnis ratio, omnis intelligentia, omnis tactus, omnis scientia, omnis

Digitized by Google

copulatio, et simpliciter, omne quod ex pulchro et bono existit, et in pulchro et bono est, et ad pulchrum et bonum convertitur; et quæcumque sunt et fiunt, propter pulchrum et bonum sunt et fiunt, et cuncta in ipsum intuentur, et ab ipso moventur et conservantur, et ipsius gratia, et propter ipsum, et in ipso omne principium exemplare, finale, efficiens, formale, materiale, et denique omne principium, omnis conservatio, omnis finis: et, ut summatim dicam, omnia quæ sunt, ex pulchro et bono existunt, et omnia quæ non sunt, in pulchro et bono sunt suprasubstantialiter, et est omnium principium supraquam principiale, et finis supraquam perfectus; *Quoniam ex ipso, et per ipsum,* et ad ipsum *omnia,* sicut ait Scriptura. Universis igitur pulchrum et bonum desiderabile et amabile est, et ab universis diligitur; et propter ipsum, et ipsius causa, et inferiora amant superiora, convertendo se ad ea; et quæ sunt ejusdem ordinis amant similia, communicando; et majora minora, providendo eis; et singula seipsa, conservando se; et omnia, pulchrum et bonum expetendo, faciunt et volunt, quæcumque faciunt et volunt. Quin et hoc vere audemus dicere, quod ipse qui est omnium causa, propter excellentiam bonitatis omnia amat, omnia facit, omnia perficit, omnia continet, omnia convertit ad se; et est divinus amor bonus boni propter bonum. Ipse enim amor divinus, qui bonitatem in iis quæ sunt operatur, quia prius extitit in bono superlate, non sivit ipsum in se sine fœtu manere, sed potius movit eum ad operandum secundum excellentiam virtutis suæ omnium rerum effectricis.

Rom. 11. 36.

Omnia pulchrum et bonum appetunt.

Digitized by Google

§. 11. *Nomen amoris etiam in Scripturis celebrari.*

Neque vero nos quisquam putet contra Scripturæ auctoritatem amoris nomen celebrare. Est enim a ratione alienum, ut opinor, et absurdum, non vim ipsam instituti attendere, sed verba; neque hoc proprium est eorum qui res divinas intelligere cupiunt, sed sonos exiles aucupantur, eosdemque extrinsecus aure tenus admittunt, neque scire volunt, quid hujuscemodi dictio significet, et quonam modo aliis etiam verbis æquipollentibus et explanatoriis sit exponenda, sed addicti sunt elementis ac lineis quæ intelligi non possunt, syllabisque et verbis incognitis, quæ illorum intellectum minime feriunt, sed extra circum labra et aures eorum perstrepunt, quasi non liceat quatuor per bis duo significare, aut simplices lineas per lineas rectas, aut maternum solum per patrium, aut aliud quodlibet per id quod in plurimis orationis partibus æquivalet: cum recta ratio doceat, elementis, syllabis, dictionibus, scriptis, verbisque nos uti propter sensus, adeo ut cum anima nostra intelligendi facultatibus fertur in ea quæ intellectu percipiuntur, tum frustra sensus una cum sensilibus adhibeantur, sicut etiam vires intelligendi, quando anima jam deiformis effecta per ignotam unionem, lucis inaccessæ radiis exoculatis quasi jactibus se ingerit. Quando autem mens per sensilia studet ad contemplatrices illas intelligentias excitari, præstantissimæ omnium sunt perspicacissimæ sensuum trajectiones, ut apertissimi sermones ac clarissimæ visiones; quippe, quando illa quæ sensibus objecta sunt minime liquent, tum utique sensus res sensiles menti porri-

Non tam habenda ratio verborum quam significationum.

Digitized by Google

gere minime possunt. Sed ne hæc dicere videamur, ut divina scripta immutemus, audiant illa qui nomen amoris criminantur: Ama illam, inquit, et custodiet te: sepi illam, et extollet te: honora eam, ut complectatur te: et quæcumque alia in amatoriis de Deo sermonibus celebrantur.

Prov. 4.

§. 12. *Scripturas sæpe nomen amoris præferre nomini dilectionis.*

Atqui visum est quibusdam nostris sacrarum Scripturarum tractatoribus, nomen amoris divinius esse quam nomen dilectionis. Scribit enim divinus Ignatius, Meus amor crucifixus est. Et in iis quæ aditum ad Scripturam præparant, quemdam invenies de divina Sapientia ajentem, *Amator factus sum formæ illius:* Quare ne propter hoc nomen amoris metuamus; nec ullus de hoc nomine sermo nos moveat, aut terreat. Mihi enim videntur Theologi existimasse quidem commune nomen esse amoris et dilectionis, sed attribuisse divinis Scripturis verum amorem propter hujusmodi hominum turpem mentis anticipationem. Cum enim verus amor non a nobis solum, sed ab ipsis sanctis Scripturis, ut Deum decet, laudetur; vulgus hominum, cum non percepisset illam uniformitatem quam divinum nomen amoris significat, convenienter sibi ad amorem patibilem et corporeum atque distractum delapsum est, qui non est verus amor, sed imago, vel potius lapsus a vero amore: multitudo enim non potest cogitatione capere illud singulare divini et unius amoris; quamobrem tamquam nomen, quod vulgo videtur durius, ponitur in divina Sapientia, ut vulgus ad cognitionem veri amoris elevetur et erigatur, et ab ea, quam illi inesse concipit, indecentia

Sap. 8. 2.

Vulgus sensuale non capit nomen amoris spiritalis.

Digitized by Google

liberetur: et in nobis rursus, ubi sæpenumero aliquid absurdum homines terræ affixi cogitare possent, ponitur nomen quod honestius videtur: Cecidit, ait quidam, dilectio tua in me, sicut dilectio mulierum, quoniam sacri Theologi nomen dilectionis et amoris adhibent secundum divinas elocutiones, ut eamdem vim habeant apud eos qui divina recte audiunt. Estque hoc virtutis cujusdam unificæ ac collectivæ excellenterque contemperantis, quæ in pulchro et bono per pulchrum et bonum præexistit, et ex pulchro et bono propter pulchrum et bonum emanat, continetque quidem æqualia per mutuam connexionem, superiora vero ad inferiorum movet providentiam, inferiora porro per conversionem quamdam superioribus inserit. 2. Reg. 1.

§. 13. *Amor est ecstaticus.*

Est præterea divinus amor ecstaticus, qui non sinit esse suos eos qui sunt amatores, sed eorum quos amant. Atque hoc declarant quidem superiora, quæ inferiorum fiunt, per eorumdem providentiam; et quæ ejusdem generis sunt, per mutuam cohærentiam; et inferiora, per diviniorem ad superiora conversionem. Unde divinus Paulus divino isto amore captus, et virtutis ecstaticæ particeps factus, divino ore ait: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus;* tamquam verus amator, et qui excessit, ut ipse ait, Deo, et non jam vitam suam, sed amati tamquam vehementer dilectam vivens. Audendum est hoc etiam pro veritate dicere, quod ipsemet omnium auctor, pulchro et bono omnium amore, propter excellentiam summam amatoriæ bonitatis extra se per providentias omnium rerum existit, et Galat. 2. 20.

Digitized by Google

bonitate atque dilectione et amore veluti delinitur, et oblectatur: et cum sit supra omnia, et ex omnibus exemptus, ad omnia demittitur secundum potestatem suprasubstantialem, qua extra se non egrediendo exit. Hanc ob causam periti rerum divinarum zelotem illum nuncupant, quod magno et benigno rerum amore teneatur, easque ad ipsius amatorii desiderii zelum provocet, atque adeo semetipse quodammodo zelotem præstet, ut cui res desiderabiles sint zelo dignæ, et ut qui rerum, quibus providet, zelo afficiatur. Denique omnino pulchrum est et bonum, quidquid amabile est et amor, et in pulchro bonoque præcollocatur, et propter pulchrum et bonum est, et fit.

Amor zelotes.

§. 14. *Quomodo Deus sit amor et dilectio, et amabilis et dilectus.*

Quid porro tandem significare volunt Theologi, cum aliquando quidem Deum vocant amorem et dilectionem, quandoque vero amabilem et dilectum? Illius quidem (scilicet amoris et dilectionis) auctor, et tamquam productor ac generator est; hoc autem (id est amabilis et dilectus) ipse est. Illo quidem (id est amore et dilectione) movetur, hoc autem (id est ut amabilis et dilectus) movet; quia se ipse adducit, et sibi adducit, et movet. Hac autem ratione dilectum et amabilem eum vocant, tamquam pulchrum et bonum; amorem vero rursus et dilectionem, tamquam vim motricem, et sursum trahentem ad se, qui solus est ipsum per se pulchrum et bonum, et tamquam manifestationem sui ipsius per seipsum, et ut benignum processum eximiæ illius unionis, et amatoriam motionem, simplicem, per se mobilem, per se operantem, præexistentem in bono,

Digitized by Google

et ex bono in ea quæ sunt redundantem, ac rursus ad bonum revertentem. Qua in re et fine et principio se carere divinus amor excellenter ostendit, tamquam sempiternus circulus, propter bonum, ex bono, in bono, et ad bonum indeclinabili conversione circumiens, in eodem, et secundum idem, et procedens semper, et manens, et remeans. Hæc etiam inclytus noster in sacris initiator divino Spiritu afflatus in amatoriis suis Hymnis exposuit, quos non abs re fuerit commemorare, quasi sacrum et quoddam caput huic nostro sermoni de amore attexere.

Circulus amoris divini.

HIEROTHEI

Sanctissimi viri verba ex Hymnis amatoriis.

§. 15. *Amor vim conjungendi habet.*

Amorem sive divinum, sive Angelicum, sive spiritualem, sive animalem, sive naturalem dixerimus, vim quamdam sive potestatem copulantem et commiscentem intelligamus, superiora quidem moventem ad providentiam inferiorum; ea vero quæ sunt ejusdem ordinis, ad mutuam communicationem, et novissime ea quæ sunt inferiora, ad convertendum se ad præstantiora et præposita.

EJUSDEM VERBA

ex iisdem Hymnis amatoriis.

§. 16. *Distributio amoris.*

Quoniam ex uno amores multos ordinavimus, ordine recensendo quales mundialium et supermundialium amorum notiones ac virtutes existerent, quibus, juxta rationem assignatam, spiritalium et

Digitized by Google

intellectu præditorum amorum ordines distinctionesque præcellunt, inter quos illi qui seipsis intellectiles ac divini, bonis qui illic vere sunt amoribus præfecti, et a nobis proprie laudati sunt. Modo iterum altius repetentes, omnes in unum conjunctumque amorem, et eorum omnium parentem colligamus simul, et conferamus ex multis; primum in duas eorum amatorias omnino vires contrahentes, quibus omnibus præstat et antecellit incomprehensa illa omnis amoris causa, quod sit omnibus superior, et ad eam pro cujusque captu rerum omnium totalis amor tendat.

EJUSDEM EX IISDEM Hymnis amatoriis.

§. 17. *Divinus amor ex Deo, per Deum, in Deum revolvitur.*

Age vero, his iterum in unum collectis, dicamus, unam esse simplicem virtutem, per se moventem unitivam quamdam mixtionem ex bono usque ad extremum eorum quæ existunt, et ab illo rursus consequenter per omnia ad bonum, ex seipsa, per seipsam, et in seipsa seipsam revolventem, et ad seipsam semper eodem modo revertentem.

§. 18. *Objectio Cur dæmones non expetant hoc pulchrum et bonum.*

Atqui aliquis objiciat: Si pulchrum et bonum omnibus amabile et desiderabile atque dilectum sit (desiderat enim illud etiam id quod non existit, ut dictum est, et aliquo modo in ipso esse contendit; quoniam ipsum est quod formam rebus forma carentibus tribuit, et in ipso etiam id quod non est, supra essentiam dicitur, et est) quomodo turba dæmonum non expetit hoc pulchrum et bonum, sed affixa ma-

Digitized by Google

teriæ, atque ab illo statu, quem Angeli in boni appetitione obtinent, prolapsa, causa est malorum omnium tam sibi quam aliis, quæ perverti depravarique dicuntur? aut quomodo genus dæmonum, ex omnino bono productum, boni forma caret? vel quomodo bonum ex bono factum mutatum est? et quid est quod illud depravavit? et quidnam etiam malum est? et ex quo principio constitit? et quanam in re existit? et quomodo bonus illud producere voluit? quomodo item volens potuit? Quod si malum existat ex alia causa, quænam alia rerum causa est, præter bonum? quomodo vero etiam extante providentia est malum aut omnino factum, aut non penitus sublatum? quomodo etiam eorum quæ sunt quidpiam præ bono illud expetit?

Quid malum, et unde.

Hæc fortasse dixerit qui ista ignorabit, nos autem eum rogabimus, ut attendat veritati, idque primum dicere non verebimur, malum non esse ex bono; ac si ex bono est, non esse malum, neque enim ignis est refrigerare, neque boni facere non bona. Si etiam ea quæ sunt, omnia ex bono sunt (natura enim boni est, producere et conservare, mali autem, corrumpere ac perdere) nihil eorum quæ sunt ex malo est, ac ne ipsum quidem malum erit, siquidem etiam sibi malum esset. Quod nisi ita sit, malum omnino malum non erit, sed habet quamdam boni, secundum quam omnino est, partem. Et si ea quæ sunt pulchrum bonumque appetunt, et quæcumque agunt, propter id quod bonum videtur, faciunt, omnisque rerum intentio cum principium tum finem bonum spectat (nihil enim, mali naturam spectando, facit

§. 19.

Malum non esse ex bono.

Digitized by Google

ea quæ facit) quonam pacto erit malum in rerum natura, vel omnino existat ejuscemodi boni appetitu destitutum? Enim vero si res omnes ex bono sint, bonumque sit supra res ipsas, id quod non est, jam in bono est, malum vero nequaquam est; alioquin non est plane malum, nec id quod non est; nihil enim erit id quod omnino non est, nisi secundum modum quemdam supraessentialem in bono esse dicatur. Bonum igitur erit, et eo quod omnino est, et eo quod non est, multo prius et superius locatum. Malum autem nec in iis est quæ sunt, nec in iis quæ non sunt, sed eo etiam quod non est, remotius est a bono, tamquam alienum ac minus ens. Unde igitur est malum? dicet aliquis. Si enim malum non est, virtus et vitium idem sunt (proportione scilicet totius ad totum, et partis ad partem) aut saltem id quod virtuti repugnat non erit malum. Atqui contraria sunt temperantia et intemperantia, justitia et injustitia. Neque vero dico illas esse contrarias, in quantum prodeunt a justo et injusto, et a temperante atque intemperante, verum etiam prius quam viri probi ab improbo discrepantia foris appareat, jam in ipso animo a virtutibus vitia discrepant, et a ratione dissident perturbationes; quapropter necessario concedendum est, malum aliquod esse bono contrarium. Neque enim sibi bonum contrarium est, sed ut ab uno principio unaque causa profectum communione, conjunctione, amicitiaque gaudet. Neque etiam minus bonum majori adversatur: quia neque id quod minus calidum aut frigidum est, magis calido frigidove contrariatur. Est igitur in rerum

Quidquid est bonum esse.

Virtutem et vitium, bonum et malum contraria-ri.

Digitized by Google

natura, estque aliquid, et opponitur atque adversatur bono malum. Et esto corruptio sit rerum, non tamen hoc penitus exterminat malum e rerum natura, sed erit illud etiam aliquid, et ad rerum conferet generationem. An non frequenter unius corruptio alterius est generatio? Atqui malum hoc modo ad universi plenitudinem conducet, ac per se faciet, ut rerum universitas non sit imperfecta.

§. 20. *Malum qua malum ad nihil utile esse.*

Ad hæc autem vera ratio respondebit, malum qua malum nihil conferre ad essentiam aut rerum generationem, sed, quantum in ipso est, rerum substantiam tantum depravare atque abolere. Si quis autem dixerit, hoc ipso rerum generationi subservire, dum alterius corruptione præstat alteri genituram; respondendum utique, non quatenus corrumpit perficere generationem, quia quatenus corrumpit malum est, nam ut sic tantum destruit ac depravat, cum generatio et essentia per bonum fiant: atque adeo malum ex se quidem erit corruptio, subservit autem generationi per id quod bonum est, adeoque qua malum neque res est, neque res producit, sed per bonum et res est et bonum, producitque bona. Quin imo non erit quidem idem eadem ex parte et bonum et malum, neque eadem potentia sub eadem ratione corruptio et generatio, neque ipsa vis, aut ipsa corruptio: ipsum enim malum neque est, neque bonum est, neque generandi vim habet, neque res, neque bona facit; bonum autem quibuscumque perfecte inest, eadem et perfecta et simplicia atque integra bona reddit, quæ vero minus ipsum participant, imperfecta bona sunt et permixta, propter boni pri-

Malum qua malum penitus non esse.

Digitized by Google

vationem. Sed malum penitus non est, neque bonum neque beneficum est; verum id quod magis vel minus appropinquat bono, pro sua portione bonum erit: nam perfecta bonitas, quæ per omnia se diffundit, non solum ad illas optimas, quæ ipsi vicinæ sunt, essentias dimanat, sed ad extremas usque protenditur, aliis quidem se tota præsens, aliis autem inferiori modo, atque aliis infimo, pro captu scilicet singulorum. Eorum autem quæ existunt, alia quidem bonum plane participant, alia autem eo magis, minusve privata sunt; alia vero tenuiorem quamdam boni præsentiam sortiuntur, aliis denique boni ultimum vestigium obtingit. Nisi enim bonum pro cujusque captu singulis adesset, utique antiquissima divinissimaque essent, quæ novissimorum modo ordinem tenent. Quonam autem pacto fieri poterat, ut uniformiter omnia bonum participarent, cum quælibet ad omnimodam boni participationem minime sint accommodata? Nunc autem hæc est potentiæ boni præstans magnitudo, ut ea quoque quæ sunt illius expertia, quin et ipsam sui privationem corroboret, ad ipsum omnino participandum. Quod si confidentius verum proferre liceat, illa etiam quæ illi contraria sunt, ejus vi et sunt et repugnare possunt; aut potius, ut summatim dicam, ea quæ sunt omnia, in quantum sunt, et bona et ex bono sunt, in quantum autem bono privata sunt, neque bona sunt, neque existunt. In cæteris nempe qualitatibus, velut in calore vel frigore, illa quæ calefacta fuerunt superesse quoque possunt, postquam calor ea deseruit, plurimæque res existunt cum vitæ tum mentis expertes; quin

Quidquid est, secundum boni participationem est id quod est.

Digitized by Google

et ipse Deus, a substantia secretus suprasubstantialiter tamen existit. Et simpliciter in omnibus aliis, sive habitus amissus sit, sive penitus non fuerit, res tamen ipsæ sunt, et constare possunt; quod autem bono prorsus privatum est, id nusquam ullo pacto vel fuit, vel est, vel erit, vel esse potest. Veluti intemperans etsi per concupiscentiam irrationabilem bono privatus sit, eatenus tamen non est, neque quidquam concupiscit, sed simul boni particeps existit secundum exilem quamdam partem amicitiæ et conjunctionis. Ira etiam boni particeps hoc ipso quod movetur, cupitque ea quæ mala videntur, ad id quod boni speciem præ se fert dirigere et convertere. Quin et is quoque qui deterrimam vitam expetit, ut qui omnino vitam cupiat, et quidem optimam ipsi visam, eo ipso appetitu, ut vitæ appetitu, qui et optimam vitam spectat, boni particeps existit. Denique si bonum penitus sustuleris, neque essentia erit, neque vita, neque appetitus, neque motus, neque quidquam aliud. Itaque, quod etiam ex corruptione fiat generatio, non est mali vis, sed minoris boni præsentiæ: sicut morbus defectus quidem est constitutionis, sed non universæ; nam si tota desit constitutio, neque morbus ipse subsistet, morbus autem manet et existit, in quantum et statum habet; et minimam constitutionem, in qua quodammodo cohæret. Quod enim omnis boni expers est, id neque aliquid est, neque in iis quæ sunt existit: quod autem mixtum est, id propter bonum est in rebus, et in tantum in rebus existit, et est, in quantum boni est particeps. Quin imo ea quæ sunt omnia, in tan-

Vitia etiam præ se ferre quamdam boni speciem, sub qua appetuntur.

Malum non existit purum sed bono mixtum.

Digitized by Google

tum magis minusve erunt, in quantum ad boni consortium accedunt: nam quod ad ipsum statum attinet, si neutiquam usquamve sit, nec erit quidem. Quod autem partim quidem est, partim autem non est, id quatenus ab eo quod semper est deflexit, non est; in quantum vero status est particeps, eatenus est, atque status ejus statusque privatio et obtinetur, et conservatur. Malum etiam, quod omni ex parte a bono defecit, neque inter ea quæ magis neque inter ea qua minus bona sunt, erit. Quod autem partim quidem bonum, partim vero non bonum est, id alicui quidem bono adversatur, non tamen toti bono, adeoque tenetur aliqua boni communione; atque hoc modo bonum sui etiam privationi statum omnino dat per sui communicationem: nam bono penitus exterminato, neque omnino quidquam bonum erit, neque mixtum, neque ipsum malum. Si enim malum sit quoddam bonum imperfectum, propter omnimodam boni absentiam tam imperfectum quam perfectum bonum aberit; tumque solum erit et apparebit malum, quando aliis quidem malum est, quibus est contrarium, ab aliis autem tamquam bonis segregatum est. Nequeunt enim eadem secundum eadem inter se in omnibus repugnare. Malum itaque non est res aliqua.

§. 21. *Malum non esse in rebus.*

Quin ne rebus quidem inest malum. Nam si res omnes sint ex bono, omnibus insit bonum, omniaque contineat, malum utique vel non erit in rebus, vel in bono erit; atqui in bono non erit (neque enim in igne frigus est) nec depravari poterit id quod etiam malum bonum reddit. Quod si erit, quomodo erit in bono malum? Si quidem ex eo

Digitized by Google

est, absurdum id est, nec fieri potest: *non* enim *potest* (ut Scripturæ veritas testatur) *arbor bona malos fructus facere;* nec contra. Si ex eo non est, perspicuum est id profectum esse ab alio principio atque causa: nam aut malum ex bono erit, aut bonum ex malo, vel si id fieri non potest, ex alio principio et causa existet tam bonum quam malum. Nulla enim dualitas principiat, sed unitas erit principium omnis dualitatis. Atqui absurdum quoque est, ex uno et eodem duo prorsus contraria proficisci et existere, idemque principium nec simplex, nec unum esse, sed divisum ac duplex, et sibi ipsi contrarium ac repugnans. Neque vero duo rerum principia contraria, quæ sibi mutuo et universo insint, pugnare quoque possint: si enim hoc detur, ne Deus quidem ipse incolumis erit vacuusque molestia, siquidem sit aliquid quod eum offendat; deinde cuncta erunt inordinata semperque pugnantia: atqui bonum cum rebus omnibus amicitiam jungit ideoque ut ipsa pax, pacisque conciliatrix, a Theologis sanctis laudatur. Itaque bona omnia sibi invicem amica sunt et consona, tamquam ab una vita propagata, et ad unum bonum coordinata, placidaque, atque similia, et inter se affabilia: non igitur in Deo malum est, neque malum est quid divinum. Sed nec ex Deo malum est: aut enim bonus non est, vel bona facit, bonaque producit; et non aliquando quidem et aliqua, aliquando vero non, et non omnia: isto enim pacto mutatio in eum cadet atque commutatio, etiam circa id quod omnium divinissimum est, id est, causam. Quod si vero in

Matth. 7. 18.

Dualitas non principiat, sed unitas.

Bonum est pacificum.

Malum nec ex Deo, nec in Deo.

Digitized by Google

Deo bonum sit ipsa substantia, si permutetur ex bono Deus, aliquando quidem erit, aliquando vero non erit. Si autem participatione bonum habeat, habebit utique ex alio, atque alias id habebit, alias non habebit. Malum igitur nec ex Deo, nec in Deo, neque omnino, neque certo tempore.

§. 22. *Malum etiam non est in Angelis.*

Quin ne in Angelis quidem inest malum. Si enim bonus Angelus divinam enuntiat bonitatem, id ipsum existens secundum participationem secundo ordine, quod secundum causam est id quod enuntiatur primo, certe Angelus est imago Dei, et arcani luminis declaratio, speculum purum, clarissimum, integrum, immaculatum, intaminatum, totam in se recipiens (si dictu fas est) pulchritudinem boniformis deiformitatis, liquidoque (quoad fieri potest) in semetipso resplendere faciens secretissimi illius silentii bonitatem, atque adeo neque Angelis inest malum; at quod peccatores puniant, mali sunt. Eadem profecto ratione correctores delinquentium mali erunt, sicut et Sacerdotes, qui profanum a mysteriis divinis arcent. Atqui non malum est puniri, sed supplicii reum fieri; uti etiam aliquem a Sacris propter demerita excludi minime malum est, sed sceleribus coinquinari, et sacratissimis mysteriis indignum reddi, pessimum.

§. 23. *Dæmones quoque non sunt natura sua mali.*

Sed neque dæmones natura sua mali sunt: nam si natura mali forent, neque ex bono essent, neque in natura rerum existerent, neque etiam ex bonis mutati, si natura semperque mali erant. Deinde, num sibi mali sunt, an aliis? Si sibi, etiam seipsi perimunt; sin aliis, quomodo interimunt, aut quid

Digitized by Google

interimunt? essentiamne, an potentiam, an actionem? Si essentiam, primum quidem non contra naturam id faciunt; quæ enim natura sua interire non possunt, ea non interimunt, sed ea quæ corruptioni sunt obnoxia. Deinde ne id quidem omnibus et omnino malum est; nec vero quidquam eorum quæ sunt interit, quatenus essentia est et natura, sed defectu naturalis ordinis, congruentiæ et compositionis ratio debilitatur, cum in eodem statu manere deberet. Imbecillitas autem non est perfecta: nam si omnino perfecta foret, et corruptionem ipsam et subjectum ejus e medio tolleret, essetque talis corruptio sui quoque ipsius interitus, ideoque etiam ut talis non esset malum, sed deficiens bonum; nam quod omnino expers boni est, ne quidem res erit, eademque ratio de corruptela potentiæ et actionis. Præterea, quomodo dæmones, qui effecti sunt a Deo, mali sunt? Bonum enim bona profert et stabilit. Verum dicet aliquis, eos malos appellari non secundum quod sunt (ex bono enim sunt, bonamque sortiti essentiam) sed ex eo quod non sunt, quia, *non custodierunt* (ut Eloquia testantur) *principatum suum*. In quo enim, dic amabo, dæmones depravatos dicimus, nisi quod divina bona velle et perficere destiterunt? alioquin si natura mali essent dæmones, semper fuissent mali: atqui malum instabile est. Si itaque semper eodem modo se habent, non sunt mali: nam eodem modo semper se habere, proprium est boni. Si autem non semper mali, neque natura mali sunt, sed defectu Angelicorum bonorum. Neque vero penitus expertes boni sunt, quatenus sunt, vivunt, intelligunt, illisque

Judæ 6.

Dæmones mali sunt per defectum Angelicorum bonorum.

Digitized by Google

omnino inest quidam motus desiderii: pravi autem dicuntur, quatenus in naturali actione sunt imbecilles. Depravatio igitur eis malum est, rerumque illis convenientium desertio frustratioque, atque imperfectio et impotentia; facultatisque in eis perfectionem conservantis infirmitas, et abactio, et dilapsio. Quid vero præterea malum in dæmonibus? Furor irrationalis, concupiscentia demens, imaginatio præceps. Verum ista tametsi dæmonibus insint, non tamen omnibus, neque omnino etiam ipsa per se mala sunt. Etenim in aliis animalibus non istiusmodi affectio, sed ejusdem privatio potius interitus existit animalium, et malum; ipsa vero affectio per suam habitudinem servat, ac constituit naturam animalis dum ista habet. Non itaque genus dæmonum existit malum, quatenus naturæ suæ respondet, sed quatenus repugnat. Neque totum bonum, quod illis concessum est, penitus eversum est, sed ipsimet a toto bono, quod iis traditum erat, exciderunt. Neque dicimus, Angelicas dotes, quas acceperant, penitus unquam fuisse immutatas, sed etiamnum integras esse planeque conspicuas, quamvis eas ipsi minime cernant, quod videndi vires obstruxerint, quibus bona sua possent intueri. Quare quod sint, et ex bono sunt, et boni, et pulchrum bonumque appetunt, dum et esse, et vivere, et intelligere quæ sunt desiderant: atque bonorum ipsis congruentium privatione, et declinatione, atque prolapsione mali nominantur; suntque mali secundum id quod non sunt, dumque id quod non est appetunt, malum appetunt.

Dæmones non perdidisse vires naturales.

Digitized by Google

§. 24. *An, et quid in animis malum sit.*

Verum animas quis malas dixerit? Si quidem idcirco, quod malis provide salubriterque adsint, jam hoc non malum est, sed bonum, et ex bono, malumque bonum facientis. Sin dixerimus animas depravari, quo depraventur? nisi bonarum affectionum actionumque defectu, quodque imbecillitate sua devient et aberrent a fine. Quin et aerem hunc, qui nobis circumfunditur, luminis defectione atque absentia dicimus obscurari, cum lux ipsa semper lux sit, quæ etiam tenebras illustrat. Quare nec in dæmonibus, nec in nobis ita malum est, quasi malum sit res aliqua, sed ut defectus et carentia perfectionis bonorum proprierum.

§. 25. *Nec in brutis malum est.*

Verum nec in animalibus brutis malum est. Nam si furorem, et concupiscentiam, cæteraque quæ dicuntur, sed non sunt simpliciter suapte natura mala, sustuleris, leo quidem fortitudine superbiaque deperdita, leo esse desinet; canis quoque si blandus fiat omnibus, non erit canis, cum vigilare canis proprium sit, et domesticos admittere, externosque repellere. Itaque naturæ incorruptio nequaquam malum est, sed ejus corruptio, et imbecillitas, et defectio cum naturalium affectionum, tum actionum atque virtutum. Quod si res omnes in tempore per generationem suam habeant perfectionem, imperfectio jam non erit in natura universa.

§. 26. *Nec in natura malum est.*

Sed neque in tota natura malum est. Si enim omnes rationes naturales sunt a natura universali, nihil jam est illi contrarium; singulari vero naturæ aliud quidem secundum naturam erit, aliud vero non erit secundum naturam. Alii enim aliud est

Digitized by Google

contra naturam, quodque huic naturale, illi contra naturam est. Naturæ vero vitium est, id quod naturæ contrarium est, eamque privat suis naturalibus. Non est itaque natura mala, sed hoc naturæ malum est, quod eam impotem reddit explendi ea quæ sunt naturæ propria.

§. 27. *Nec in corporibus malum est.*

Verum nec in corporibus malum est. Fœditas enim et morbus defectus quidam formæ est, ordinisque privatio; illud autem non usquequaque malum est, sed minus pulchrum: nam si omnimoda pulchritudinis et formæ ordinisque resolutio fiat, ipsum quoque corpus interibit. Quod autem corpus animæ non sit causa malitiæ, vel ex eo constat, quoniam etiam sine corpore malitia possit alicui adhærere, ut in dæmonibus patet: siquidem id æque spiritibus atque animabus quam corporibus malum est, si infirmentur, et de bonorum suorum statu deturbentur.

§. 28. *Neque in materia malum est.*

Sed neque tritum illud, In materia malum, ut ajunt, quatenus materia est: nam et ipsa pulchritudinis et ornatus formæque fit particeps. Si autem seorsum ab his suapte natura materia qualitatem nullam speciemque obtinet, quonam pacto materia quidquam agat, quæ nec id ipsum a se habet, ut pati possit? Præterea, quonam modo materia malum sit? Si enim neutiquam nusquamque est, neque bonum neque malum est: sin vero quomodocumque est, omniaque quæ sunt, ex bono sunt, utique etiam ipsa ex bono erit, atque ita vel bonum malum efficit, vel certe malum, quatenus ex bono est, bonum erit, nisi forte malum bonum faciat, adeoque bonum, quatenus ex malo est, malum sit.

Digitized by Google

Vel iterum, quo sunt principia, quæ ipsamet ab uno aliquo alio capite dependent. Jam vero, si materiam ad universi consummationem necessariam fuisse dicant, quomodo materia malum sit? aliud enim est malum esse, aliud necessarium. Quomodo autem bonus aliqua ex malo gignat? aut quomodo malum sit id quod bono necessarium est? nempe malum boni naturam fugit. Quomodo vero materia naturam gignit, ac nutrit, si mala est? malum enim, qua parte malum est, nihil gignit aut nutrit, efficitve aut salvat. Quod si dicant, eam quidem in animabus malitiam non progignere, sed ad malitiam eas instigare, quonam modo id verum erit? cum ex iis plurimæ bonum spectent. Atqui, quonam pacto id fieri potuisset, si ad malum eas materia prorsus inclinaret? Quamobrem malum in animabus non existit ex materia, sed ex inordinato quodam et peccante motu. Quod si dicant, eas omnino sequi materiam, atque materiam illam instabilem iis esse necessariam, qui in semetipsis consistere non possunt; quanam ratione malum sit necessarium? vel quomodo id quod necessarium est sit malum?

§. 29. *Neque privatio per se mala.*

Sed neque dicimus, privationem vi sua bono repugnare: nam omnimoda quidem privatio prorsus impotens est, partialis vero non secundum quod privatio est vim habet, sed secundum quod non est omnimoda privatio. Si enim sit privatio boni partialis, nondum malum est; et si facta sit, jam etiam mali natura discessit.

§. 30. *Bonum quid et*

Sed ut summatim dicam, bonum ex una integraque causa existit, malum autem ex multis partiali-

Digitized by Google

malum; et unde.

busque defectibus. Cognovit Deus malum ut bonum, et penes ipsum malorum causæ virtutes sunt beneficæ. Quod si malum æternum est, et creat, et potest, et est, et agit, unde ei hæc omnia? num ex bono? an bono ex malo? an vero utrique ex causa alia? Omne quod secundum naturam est, ex definita causa nascitur: malum autem si causæ sit ac definitionis expers, non est secundum naturam; neque enim est in rerum natura, quod contra naturam est, neque in arte ratio est inscitiæ. Num ergo anima malorum causa sit, sicut ignis v. g. caloris, atque omnia, quibus appropinquat, malitia replet? an vero bona quidem animæ natura, sed in actionibus suis alias quidem sic, alias vero aliter se habet? Si natura sua status etiam ejus malus est, unde statum habuit; an ex causa bona, quæ effectrix est rerum omnium? Sed si ex ea, quomodo malum est secundum essentiam? omnes enim ejus effectus boni sunt. Sin per actiones, neque hoc est immutabile, alioquin unde virtutes illi, nisi boniformis facta sit? Reliquum est igitur, malum esse debilitatem quamdam, defectionemque a bono.

§. 31. *Bonorum causa una, malorum multæ.*

Bonorum causa una est. Si bono malum est contrarium, malorum causæ multæ sunt: non tamen efficientes sunt malorum rationes ac facultates, sed impotentia, et infirmitas, et incongrua quædam permixtio rerum dissimilium. Mala nec immobilia sunt, neque semper eodem modo se habent, sed infinita et indeterminata, in aliis atque aliis, iisque infinitis, diversimode vagantur. Malorum etiam omnium principium atque finis bonum est: boni enim causa

Digitized by Google

sunt omnia, et quæ bona sunt et quæ mala; quippe cum hæc quoque boni desiderio agamus (nemo enim proposito sibi malo facit quæ facit) quapropter neque substantia malum nititur, sed substantiæ simulacro, dum boni et non sui ipsius gratia geritur. *Ex bono et propter bonum sunt omnia.*

Malo status tribuendus est per accidens, et propter aliud, et non ex proprio principio; ut quod dum fit, rectum quidem esse videatur, quia boni gratia fit, revera autem rectum non sit, quandoquidem id bonum opinemur, quod bonum non est. Ostensum est, aliud esse quod expetitur, et aliud quod agitur. Malum itaque deflectit a via præter intentionem, præter naturam, præter causam, præter principium, præter finem, extra terminum, extra voluntatem, extra substantiam. Malum ergo privatio est, et defectus, et infirmitas, et inconcinnitas, et error, et frustratio scopi, pulchritudinis, vitæ, intellectus, rationis, perfectionis, fundamenti, causæ; est interminatum, sterile, iners, imbecillum, confusum, dissimile, infinitum, tenebrosum, statu caret, ipsumque nullo pacto, ac nusquam, et nihil existit. Quomodo ergo malum omnino possit aliquid permixtione boni? quod enim boni prorsus expers est, neque est quidquam, neque quidquam potest. Etenim si bonum est id quod est, et appetendum, et validum, et efficax, quomodo quidquam possit id quod bono contrarium est, cum et essentia careat, et voluntate, et potentia, et actione? Non omnibus omnia et omnino eadem secundum idem mala sunt. Dæmoni malum est, quod a bona mente deflexerit; animo, quod a ratione; corpori, quod a natura.

§. 32. *Malum est per accidens.*

Malum quid, et quid possit.

Digitized by Google

§. 33. *Quomodo extante providentia sint mala.*

Quomodo extante providentia mala sunt omnino? Malum qua malum neque res, neque in rebus est. Nulla etiam res providentiam effugit, neque enim est malum quod non sit admixtum bono. Quod si nulla res sit expers boni, malum autem sit defectus boni, cum nulla res omnino privata sit bono, in rebus omnibus divina quoque providentia est, nec res ulla providentiam divinam effugit: quin etiam iis qui mali evaserunt, ad ipsorum aut aliorum privatam vel communem utilitatem, providentia benigno utitur, proprieque singulis rebus consulit. Quamobrem vanum sermonem plurimorum nequaquam approbamus, qui ajunt, divinam providentiam nos vel invitos ad virtutem debere impellere: nam non est providentiæ naturam violare. Quapropter tamquam providentia, quæ naturæ cujusque conservatrix sit, libero motu præditis, ut libere se moventibus, et universis ac singulis, modo quodam universo ac cuilibet proprio prospicit, in quantum eorum, quibus providetur, natura capit, universæ atque omnigenæ providentiæ beneficia, quæ cuique pro captu suo dantur.

Providentia servat naturas rerum inviolatas.

§. 34. *Malum non est res, nec potestas sed defectio.*

Non igitur malum est res aliqua, neque in rebus malum existit. Nusquam enim malum est qua malum, nec quod malum fit hoc a potestate proficiscitur, sed ab imbecillitate. Ac dæmonibus, id quidem quod sunt, et ex bono est, et bonum; malum, quod illis ex lapsu a propriis bonis accidit, est ejusdem status habitusque mutatio, et accommodatæ eis Angelis dignæ perfectionis imbecillitas. Expetunt etiam bonum, in quantum est esse, et vivere, et

Digitized by Google

intelligere desiderant; et in quantum non expetunt bonum, id quod non est expetunt: atqui non est hoc appetitus, sed veræ adpetitionis defectio.

§. 35. *Inscitia peccatum quid.*

In scientia vero peccantes Scriptura vocat eos, qui circa eam, quæ latere non potest, boni cognitionem aut actionem imbecilles sunt, quique sciunt voluntatem, et non faciunt, qui audiverunt quidem, sed infirmi sunt in fide vel operatione boni; quin etiam aliqui nolunt intelligere ut bene faciant, ex perversione vel debilitate voluntatis. Atque universim malum (ut sæpe diximus) infirmitas est et imbecillitas, et defectus sive scientiæ, sive liquidæ cognitionis, sive fidei, sive naturæ, sive desiderii, sive operationis boni. Atqui dixerit nonnemo, infirmitatem minime supplicium mereri, sed e diverso venia dignam esse. Si quidem facultas non suppeteret, recte utique id diceretur: sin autem ex bono sit posse, quod, juxta Scripturam, omnibus omnino convenientia largitur, ex bona bonorum propriorum habitudine defectio, et perversio, et fuga, prolapsioque laudanda non sunt. Verum hæc in tractatu de Justo divinoque iudicio satis a nobis pro virili sunt exposita; in quo sacro tractatu veritas Eloquiorum sophisticas rationes, quæ injustitiam mendaciumque Deo impingunt, tamquam plane impias et stolidas elisit. Iam vero pro modulo nostro satis laudatum est bonum, in quantum vere admirandum, ut principium et finis omnium, ut rerum omnium complexus, ut informans res non existentes, ut causa bonorum omnium, ut nullius mali causa, ut providentia et bonitas absoluta, quæque omnia, tam quæ sunt

Quid in peccato pœna dignum.

Digitized by Google

quam quæ non sunt, superat, et mala, suique privationem, bona efficit, ut omnibus expetendum, amandum et diligendum, et quæcumque alia in superioribus verax, uti reor, oratio demonstravit.

CAPUT V.

De ente, in quo etiam de exemplaribus.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Docet, Deum, prout in se est, neque cognosci neque explicari posse; et ostendit, quomodo nomen boni latius pateat quam nomen entis. 2. Ait sibi propositum esse, Deum secundum providentias seu emanationes prædicare. 3. Ea, quæ Deum magis participant, ei esse propinquiora. 4. Deum esse omnia in omnibus eminenter. 5. Ex Deo esse ævum et tempus, et omnia: et gradum entis esse primum seu antiquissimum Dei donum. 6. Gradum entis et res omnes esse a Deo et in Deo unite. 7. In Deo, tamquam causa omnium, omnia etiam contraria esse unita. 8. A Deo spiritus cœlestes et animas et res omnes gradum suum essendi obtinere, et quidquid habent; et Deum in omnibus esse exempte, et confirmat exemplo solis: et simul explicat quid sint exemplaria. 9. Docet, illa, quæ in rebus principaliora sunt, non esse proprie relationes, nec exemplaria, sed exemplata, et Deum simplici sua perfectione cuncta complecti. 10. Quomodo Deus sit rerum omnium principium et finis.

§. 1. *Deum ut in se est explicari non posse.*

Modo transeundum est ad theologicum nomen entis vere existentis. Tantum autem commentabimur, quantum propositi ratio postulat: non enim propositum est, substantiam, quæ est supraquam substantia, explicare quatenus est supraquam substantia

Digitized by Google

(hoc enim ineffabile est et ignotum, ac penitus expromi non potest, et ipsam copulationem mentis superat) sed potius, substantiæ deificæ, et quæ omnis substantiæ principium est, ad universa quæ sunt emanationem substantificam celebrare. Siquidem nomen boni de Deo declarat omnes emanationes auctoris omnium, et porrigitur hæc nominatio Dei a bono tum ad ea quæ sunt tum ad ea quæ non sunt, estque supra ea quæ sunt et supra ea quæ non sunt. Nomen autem entis ad omnia quæ sunt extenditur, ac supra essentias ipsas eminet. Nomen vero vitæ ad omnia viventia tenditur, et supra viventia est. Nominatio Dei a sapientia, porrigitur ad omnia quæ intelligunt, quæ ratiocinantur, quæ sentiunt, et supra omnia ista est.

Nomen boni latius patere quam nomen entis.

Has igitur Dei nominationes, quæ providentias Dei aperiunt, propositum est prædicare: non enim tractatio nostra promittit enodare et aperire supra essentialem ipsiusmet superessentialis divinitatis bonitatem et essentiam, et vitam et sapientiam, quæ supra omnem bonitatem, et divinitatem, et essentiam, et sapientiam, et vitam in absconditis, ut Eloquia tradunt, sedem posuit: quin potius providentiam patefactam, bonorum effectricem, bonitatem excellentissimam, et bonorum omnium causam laudibus celebrat; ut ens, et vitam et sapientiam, substantiæ et vitæ effectricem et causam, quæ sapientiam tribuit iis quæ substantiam et vitam, et mentem et rationem, et sensus participant. Non dicit (hæc nostra tractatio) aliud esse bonum, et aliud ens, aliudque vitam, vel sapientiam, neque multas

§. 2. *Propositum est Dionysio, Deum secundum providentias seu emanationes prædicare.*

Digitized by Google

causas, et alias aliorum effectrices divinitates, superiores et inferiores, sed unius Dei universas bonas emanationes, et nominationes Dei a nobis laudatas; atque unam quidem esse, quæ totam providentiam unius Dei declarat; alias vero, quæ magis et minus generales providentias patefaciunt.

§. 3. *Ea quæ Deum magis participant esse ei propinquiora.*

Verum dicet aliquis, Cum ens quam vita, vitaque quam sapientia latius pateat, cur entibus quidem viventia, viventibus vero sensitiva, atque his rationalia, et rationalibus ipsi spiritus antecellunt, et circa Deum versantur, illique magis appropinquant? Atqui decebat ea, quæ majora Dei munera participabant, cæteris quoque præstare atque antecellere. Id utique recte diceretur, si quis poneret res spiritales et entitate et vita carere: verum cum divini Spiritus entitate sua cæteris entibus antecellant, excellentiusque vivant aliis viventibus, et intelligant cognoscantque supra sensum ac rationem; et præ cunctis entibus pulchrum et bonum appetant participentque, hoc utique viciniores bono sunt, quo luculentius illud participantes, plures etiam et ampliores ab ipso dotes acceperunt: sicut etiam rationalia sensitivis antecellunt, quo uberiori ratione pollent, uti et sensitiva sensu, atque alia vita. Estque hoc, ut opinor, verum, illa, quæ unius infinitis muneribus abundantis Dei magis participant, propinquiora quoque ipsi divinioraque existere iis quæ his rebus superentur.

§. 4. Quoniam vero etiam de his disseruimus, agedum laudemus bonum, tamquam vere existens, et rerum omnium substantias efficiens. Qui est, universæ es-

Digitized by Google

sentiæ possibilis supernaturalis causa substantialis existit, et effector entis, existentiæ, personæ, substantiæ, naturæ: principium et mensura sæculorum, et temporum entitas, et entium ævum, tempus eorum quæ fiunt, esse iis quæ quoquomodo sunt, generatio quoquomodo genitis. Ex eo qui est, ævum, et substantia, et existentia, et tempus, et generatio, et quod gignitur. Est ea quæ sunt, in iis quæ sunt, et quæ quocumque modo existunt, et quæ per se existunt. Deus enim non quovis modo est ens, sed simpliciter et infinite totum esse in se pariter complexus et anticipans; quamobrem etiam Rex sæculorum nominatur, ut in quo et penes quem cujuslibet esse et sit et constet, et in quo nec erat, nec erit, neque factum est, neque fit, neque fiet, imo nec est; sed ipse est esse rebus: et non tantum ea quæ sunt, sed ipsum esse rerum, ex præ æterno ente, ipse enim est ævum ævorum, existens ante omne ævum.

Deum esse omnia in omnibus eminenter

Altius itaque repetentes, dicamus, rebus omnibus et ævis, ipsum esse ab eo qui præextitit existere. Atque omne quidem ævum ac tempus ex ipso, omnis vero ævi ac temporis, reique cujuslibet principium ac causa is est qui præexistit; et cuncta ipsum participant, et a nullo entium recedit; et ipse est ante omnia, et universa in ipso consistunt, et simpliciter, si quid quomodolibet existit, in ipso præente tum est, tum intelligitur, tum salvatur: et ante alias ejus participationes præsupponitur ipsum esse, et est ipsum per se essè antiquius, quam esse per se vitam, et per se sapientiam, et per se similitu-

§. 5. *Ex Deo esse ævum et tempus et omnia.*

Digitized by Google

dinem divinam, et quæcumque alia participantur ab iis quæ sunt, ante omnem sui participationem participant esse: imo vèro etiam ipsa secundum quæ sunt omnia, quæ ab iis quæ sunt participantur, ipsum per se esse participant; et nihil est, cujus ipsum per se esse non sit essentia et ævum. Deus igitur cum sit, ut consentaneum est, omnibus aliis magis principialis, ab antiquiore dono suo laudatur ut ens; siquidem prius esse et excellentius esse cum prius habeat et excellentius habeat, prius fecit esse quod est, ipsum inquam per se esse, et per ipsum omne quod quomodocumque est, existere fecit. Atqui principia eorum quæ sunt, omnia participant esse, et sunt, et principia sunt; et primum sunt, et postea principia sunt. Et si vis viventium, quatenus vivunt, principium dicere per se vitam; et similium, quatenus similia sunt, per se similitudinem; et copulatorum, quatenus copulata sunt, per se copulationem; et ordinatorum, quatenus ordinata sunt, per se ordinationem; et similiter in aliis, quæcumque hoc aut illud, aut utrumque, aut multa participant, et hoc aut illud, vel utrumque aut multa sunt participata, reperies, per se participationes, primum participare esse, et sic primum esse quod sunt, deinde hujus aut illius principia esse, et participando esse, existere, et participari. Si autem hæc (quæ aliorum principia numerantur) per participationem ipsius esse existant, multo magis quæ ipsa illa principia participant.

Ipsum ens esse antiquissimum Dei donum.

§. 6. *Ipsum esse et*

Primum igitur donum per se esse cum per se illa supraquam bonitas producat, merito ab anti-

Digitized by Google

quiore et prima omnium participationum laudatur; et est ex ipsa et in ipsa ipsum per se esse, et rerum principia, et omnia quæcumque sunt, et quæ quomodocumque sunt; idque incomprehense, et copulate, et singulariter. Siquidem in unitate omnis numerus uniformiter præextitit, habetque unitas in seipsa singulariter omnem numerum; et omnis numerus in unum copulatus est, et in unitate est, et quanto longius ab unitate procedit, tanto magis dividitur et multiplicatur. Et in centro omnes lineæ circuli una copulatione simul existunt; et punctum habet omnes rectas lineas uniformiter copulatas inter se, et cum uno principio a quo exierunt, et in ipso centro omnino copulatæ sunt: et parum ab eo distantes parum dividuntur, magis autem distantes magis; et, ut semel dicam, quanto sunt centro propinquiores, tanto magis cum eo et inter se copulantur; et quanto magis a centro distant, tanto magis et inter se distant.

omnia esse a Deo et in Deo unite.

§. 7.

Imo et in tota natura universi rationes uniuscujusque naturæ una copulatione non confusa collectæ sunt, et in anima copulatæ sunt uniformiter virtutes, quæ omnibus partibus corporis provident: non est igitur absurdum, ex parvis et minutis imaginibus et exemplis ad causam omnium ascendentes, supermundanis oculis contemplari omnia in causa omnium, et quæ sunt inter se contraria, uniformiter et copulate; siquidem principium est rerum, a quo tam ipsummet esse, quam omnia quæ quomodocumque sunt, omne principium, omnis finis, omnis vita, omnis immortalitas, omnis sapientia, omnis

In Deo ut causa omnium omnia etiam contraria esse unita.

Digitized by Google

ordo, omnis congruentia, omnis potentia, omnis custodia, omne firmamentum, omnis permansio, omnis intelligentia, omnis ratio, omnis sensus, omnis habitus, omnis status, omnis motus, omnis unio, omnis complexus, omnis amicitia, omnis discrepantia, omnis distinctio, omnis definitio, et cætera quæcumque essendo sunt entia, universa insignit.

§. 8. *A Deo Spiritus cælestes, et animas et res omnes gradum suum essendi obtinere.*

Atque ex hac ipsa omnium causa sunt intellectiles ac intelligentes deiformium Angelorum animarumque essentiæ, ac totius mundi naturæ, et quæcumque vel in aliis existere, vel per cogitationem esse dicuntur; denique sanctissimæ illæ antiquissimæque virtutes, quæ veræ sunt essentiæ, et quodammodo in ipso vestibulo superessentialis Trinitatis constitutæ, ab ipsa quoque et in ipsa, et post eas inferiores inferiori, novissimæque, quoad Angelos quidem novissimo, quoad nos autem supermundiali gradu tum esse tum deiformiter esse obtinent. Animæ quoque, cæteræque omnes entitates, secundum eamdem rationem, tam esse quam bene esse habent, et sunt et bene sunt, dum ab eo qui prius est cum esse tum bene esse obtinent, et in ipso et sunt et bene sunt, et ex ipso incipiunt, et in ipso conservantur, et ad ipsum terminantur. Ac primas quidem ipsius esse distribuit præstantioribus illis essentiis, quas æviternas Scripturæ vocant: ipsum autem esse rerum universarum numquam deficit; verumtamen illud ipsum esse est ex eo qui prius est; et ipsius est essentia, et non ipse essentiæ; et in ipso est existentia, et non ipse in existentia; atque ipsum habet existentia, et non ipse habet

Deum esse in omnibus exempte.

Digitized by Google

existentiam; et ipse est ipsius existentiæ et ævum, et principium, et mensura, cum ante existentiam et entis et ævi, et omnium substantificum principium, et medium et finis existat. Atque ideo ab Eloquiis qui vere præexistit, secundum omnium eorum quæ sunt cogitationem multiplicatur, et in eo proprie celebratur, erat, et est, et erit, item factum est, et fit, et fiet: hæc enim omnia significant iis qui ut Deum decet intelligunt, esse eum secundum omnem cogitationem suprasubstantiam, et esse causam eorum quæ modis omnibus sunt. Etenim non hoc quidem est, illud vero non est; nec aliquo quidem modo est, aliquo vero non est; sed potius omnia est, ut omnium auctor, et in se omnia principia, omnes omnium rerum terminationes continens et anticipans: et supra omnia est, utpote ante omnia supraessentialiter supraquam existens. Quamobrem omnia de ipso et simul dicuntur, nihilque est omnium: est omnis figuræ, omnis formæ, sine forma, sine pulchritudine, principia et media et fines rerum solute et abstracte in seipso anticipata habens, et omnibus pure illucens, largiendo ut sint secundum causam unam et supraquam copulatam. Si enim sol ille noster rerum sensilium substantias ac qualitates, quantumvis multæ sint ac diversæ, simul ille, cum sit unicus, et uniformiter diffundat lumen suum, omnes renovat, et nutrit, et servat, et perficit, et distinguit, et unit, et refovet, et fœcundat, et auget, et immutat, et firmat, et producit, et suscitat, et vegetat; et quodlibet ex iis, modo cuique proprio, unius ejusdemque solis particeps existit, et pluri-

Exemplum a sole.

Digitized by Google

morum se participantium causas sol unicus in seipso uniformiter anticipavit: potiori utique ratione concedendum est, in ipsiusmet solis ac rerum omnium causa, secundum unicam supra essentialem copulationem, rerum omnium exemplaria præextitisse, quandoquidem hæc ipsasmet essentias producat secundum excessum essentiæ. Exemplaria vero dicimus esse rationes in Deo substantificas rerum et unite præexistentes, quas divinus sermo vocat prædefinitiones, et divinas atque bonas voluntates, rerum definitrices et effectrices; secundum quas qui est supra substantiam, omnia quæ sunt prædefinivit, et produxit.

Exemplaria quid sint.

§. 9. Si autem vult Clemens Philosophus, ad aliquid dici exemplaria quæ sunt in rebus principaliora, progreditur quidem, cum sic loquitur, non per propria et perfecta et simplicia nomina: sed si concedamus etiam hoc recte dici, oportet meminisse Scripturæ quæ ait: Non ostendi illa tibi, ut eas post illa; sed ut per proportionem cognitionis horum ad cognoscendam omnium causam, quoad possumus, adducamur. Quamobrem universa ipsi entia secundum unam omnibus eminentem copulationem sunt attribuenda; quandoquidem dum ab ipsamet essentia substantificæ promanationis ac bonitatis exordiens, per omnia dimanat, et universa per semetipsam implet, et in rebus omnibus delectatur, omnia quidem in se præhabet excellentia simplicitatis, quæ omnem refugit duplicitatem; cuncta vero similiter continet secundum plusquam simplicem infinitatem suam, et ab omnibus singulariter participatur, que-

Exod. 25.

Deum simplici sua perfectione cuncta conplecti.

Digitized by Google

madmodum et vox, cum una sit et eadem, a multis quoque auribus ut una percipitur.

§. 10. *Quomodo Deus sit rerum omnium principium et finis.*

Omnium igitur principium et finis, qui rebus præexistit. Principium quidem ut causa; finis vero, ut cujus causa, et finis omnium, atque infinitas omnis infinitatis et terminationis excellenter, sicut oppositorum. In uno enim, ut sæpenumero dictum est, omnia quæ sunt præhabet, et existere fecit, præsens omnibus ubique secundum unum et idem, et secundum idem omne; in omnia means et in se manens, et stans et se movens, et neque stans neque movens; neque principium vel finem vel medium habens; nec est in quopiam eorum quæ sunt, neque quidquam eorum est. Et neque totaliter ipsi convenit aliquid æternaliter existentium, aut temporaliter subsistentium, sed et a tempore, et ab ævo, et ab iis quæ sunt in ævo, et ab iis omnibus quæ sunt in tempore segregatur; quia ipsum per se ævum, et quæ sunt, et mensuræ rerum, et quæ mensurantur per ipsum et ab ipso. Sed de his quidem alibi commodius dicetur.

CAPUT VI.

De Vita.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. *Docet Deum esse vitam ex qua omnis vita proficiscitur.*
2. *Eum cuilibet viventi naturæ congruam vitam impertiri.*
3. *A divina vita, quæ supra vitam est, vivificari ac foveri universa, atque adeo ipsam omnigenam vitam prædicari.*

§. 1. *Deum esse vi-*

Nunc laudanda nobis est vita æterna, ex qua per se vita, et omnis vita manat; et a qua vivere in

Digitized by Google

tam, ex qua omnis vita proficiscitur.

omnia quoquo modo vitam participantia, convenienter unicuique, disseminatur. Itaque vita atque immortalitas immortalium Angelorum, et illa perpetuitas Angelicæ vitæ, quæ omnem effugit interitum, ex ipsa et propter ipsam est et subsistit, quamobrem semper viventes et immortales dicuntur, et rursus non immortales, quia non ex se habent ut immortales sint, et perpetuo vivant, sed ex vivifica et omnis vitæ effectrice et conservatrice causa. Et sicut dicebamus de eo qui est, esse ævum ipsius per se esse, sic etiam hic vita divina est per se vitæ vivificatrix et effectrix; et omnis vita, vitalisque motio est ex vita, quæ est supra omnem vitam, et omne principium omnis vitæ. Ex ipsa etiam animæ habent, quod non intereant, et animantia germinaque quod ultimo vitæ gradu gaudeant. Hac subtracta, juxta Scripturam, deficit omnis vita, et ad ipsam denuo conversa, rursum vivificantur quotquot ab ejus consortio præ imbecillitate desciverant.

§. 2. *Hæc cuilibet viventi congruam vitam impertitur.*

Et largitur primum quidem per se vitæ esse vitam, et omni vitæ, et cuique vitæ esse unamquamque apte ad naturam suam: cælestibus etiam vitis immaterialem ac deiformem et immutabilem immortalitatem, et motum sempiternum ab omni errore inflexioneque liberum, ad ipsam quoque vitam dæmoniacam abundantia bonitatis se extendens: neque enim illa quod sit, et vita sit ac maneat, ab alia causa nisi ab hac habet. Dat insuper hominibus, licet compositis, vitam quæ Angelicam proxime attingit, et nos aversos etiam exuberantia benignitatis ad se convertit revocatque, et

Digitized by Google

(quod divinius est) nos totos, animas dico et conjuncta corpora, ad perfectam et immortalem vitam translaturam se promisit: id quod antiquitati quidem contra naturam esse videtur, mihi vero et tibi et veritati divina res, et supra naturam. Supra naturam nostram dico quæ videtur, non autem illam omnipotentem vitæ divinæ: huic enim ut quæ sit omnium vitarum, et earum præsertim quæ divinio-res sunt natura, nulla vita est contra naturam aut supra naturam. Quamobrem vesaniæ Simonis contradictorij sermones procul a divino cœtu tuaque spiritali anima repellantur: latebat enim ipsum, uti puto, tametsi sibi sapiens videbatur, eum qui sanæ mentis sit, evidenti sensus ratione adjutrice uti contra abstrusam omnium causam non oportere. Atque hoc ei dicendum est, id esse contra naturam dicere; ei enim nihil est contrarium.

§. 3. *A divina vita vivificantur et foventur universa.*

Ab ipsa vivificantur et foventur universa, tam animalia quam plantæ. Et sive spiritalem dixeris, sive rationalem, sive sensitivam, sive nutritivam et autricem, sive qualemcumque tandem vitam, vel vitæ principium, vel vitæ essentiam, ex ipsa et vivit et viget supra omnem vitam, et in ipsa secundum causam uniformiter præexistit. Nam supraquam vitalis et vitæ principialis vita, et omnis vitæ causa est, adeoque vivificat et complet atque distinguit vitam, et ex omni vita prædicanda, juxta fœcundam vitarum omnium propagationem, unde tanquam omnigena omnisque vita concipitur ac celebratur, et ut nullius indiga, imo vero vitæ superplena, se ipsa vivens, et quasi omnem vitam vivificans, et super-

Digitized by Google

vivens, sive quomodocumque ineffabilem illam vitam humano more laudare quis possit.

CAPUT VII.

De sapientia, mente, ratione, veritate, fide.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Docet, sapientiam Dei esse omnis sapientiæ creatricem, supraque omnem sapientiam existere investigabilem et incomprehensibilem; neque secundum nostram intelligentiam metiendam esse. 2. Ex ea Dei sapientia dicit Angelos habere, quod sint intellectiles, et homines quod sint rationales, et res aliæ sensibiles. Quærit insuper, quomodo Deus omnia novit sine ulla actione; et quomodo omnia cognoscendo anticipet, et in se ipso per sui notitiam cognoscat; et Angeli quoque sensilia intellectiliter percipiant. 3. Ostendit, Deum, ut in se est, nobis ignotum esse, eumdemque nosci partim per notionem, partim sine notione, et hanc notitiam esse illa diviniorem ac veriorem. 4. Quomodo Deus Verbum sit, quod est simplex veritas et fidei fundamentum.

§. 1. *Sapientiam Dei esse omnis sapientiæ creatricem, supraque omnem sapientiam.*

Agè porro, ipsam, si placet, veram æternamque vitam, etiam, ut sapientem, ipsamque sapientiam celebremus, imo vero tamquam omnis sapientiæ procreatricem, supraque omnem sapientiam et intelligentiam eminentem. Non enim Deus tantum supraquam plenus sapientia existit, et intelligentiæ ejus non est numerus, sed supra omnem rationem et mentem et sapientiam collocatur. Idque supernaturaliter intelligens vir plane divinus, communis ille noster nostrique præceptoris sol, *Quod,* inquit, *stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Non solum quod

Cor. 1. 25.

Digitized by Google

omnis humana cogitatio error quidam sit, si cum divinarum absolutissimarumque intelligentiarum firmitate stabilitateque comparetur; verum etiam quia solemne est Theologis, ut in Deo ea quæ sunt privationis contrario sensu dicant. Sic lucem splendidissimam Scripturæ vocant inaspectabilem; et qui multa laudum insignia nominaque habet, dicunt ineffabilem et innominabilem; atque eum qui omnibus præsens est, et ex omnibus invenitur, vocant incomprehensum et investigabilem. Hoc igitur modo etiamnum divinus Apostolus stultitiam Dei laudare dicitur, dum id quod in ea rationi contrarium et absurdum videtur, ad ineffabilem omnique ratione potiorem veritatem refert. Verum (ut alibi dixi) si more nostro ea quæ supra nos sunt accipiamus, familiaribusque nobis sensibus inhæreamus, atque divina cum rebus nostris conferamus, fallimur, si secundum id quod deforis apparet divinum Numen et arcanam illam rationem metiamur; cum scire debeamus; mentem quidem nostram pollere vi intelligendi, qua res intellectiles contueatur, tamen istam unionem, qua rebus se superioribus conjungitur, naturam ipsius longe superare. Secundum hanc itaque divina sunt intelligenda, non more nostro, sed quatenus nos ipsi totos a nobis totis abdicamus, et toti transimus in Deum: siquidem longe præstat nos Dei esse quam nostros; sic enim divina nobis dari poterunt, sic cum Deo fuerimus conjuncti. Hanc igitur rationis expertem et amentem atque fatuam sapientiam superlate laudantes, dicamus, omnis mentis et rationis, omnisque sapientiæ et intelligentiæ causam esse;

Res divinas non secundum nostram intelligentiam metiendas esse.

Digitized by Google

et ipsius esse omne consilium, et ab ea omnem scientiam et intelligentiam proficisci, et in ea omnes the-
Coloss. 2. 3. sauros sapientiæ et scientiæ absconditos esse. Etenim convenienter iis quæ antea dicta sunt, causa supraquam sapiens et omnia sciens, per se sapientiæ et totius sapientiæ universalis et singularis effectrix.

§. 2. *Ex Dei sapientia habent Angeli, quod sint intellectiles.*

Ex ea intellectiles ac intelligentes Angelicarum mentium virtutes simplices ac beatas habent intelligentias, dum non dividuis aut e dividuis, vel sensibus vel diffusis rationibus, ratiocinando divinam colligunt scientiam, nec iisdem communiter adhærent, sed ab omni materia pluralitateque puræ, spiritali, a materia secreto atque uniformi modo ea capiunt, quæ in divinis intelligi possunt: estque illis vis spiritalis atque operatio impermixta, et immaculata puritate resplendens, et conspicax divinarum intelligentiarum, quæ divisionis ac materiæ carentia, nec non deiformi unitate ad divinam et plusquam sapientem mentem ac rationem, quantum fieri potest, per divinam sapientiam efformatur. Hinc etiam animæ ratiocinandi vim obtinent, quæ dum per digressus quosdam et per ambages rerum investigant veritatem, propter divisam et omnifidam varietatem non parum ab unitis illis mentibus deficiunt, sed ubi demum e multis in unum sese colligunt, Angelicas etiam, quantum quidem animabus congruit, intelligentias æmulantur. Quin et sensus ipsos si quis sapientiæ quemdam sibilum esse dixerit, nequaquam a vero aberrabit: nam et dæmonum quoque mens, in quantum mens est, ex ipsa est; in

Ab hac animæ sunt rationales.

Sensus esse quasi sibilum quemdam divinæ sapientiæ.

Digitized by Google

quantum vero amens est, et id quod appetit nec scit, nec vult assequi, verius a sapientia defectio dici debet. Sed quoniam divina sapientia ipsiusmet sapientiæ, atque omnis etiam mentis, rationis ac sensus principium, et causa, et procreatrix, et perfectio et custodia, et terminatio dicta est; quomodo ergo Deus ipse supraquam sapiens sapientia, et mens, et Verbum, et cognitio prædicatur? quomodo enim intelligat quidquam intellectilium, si non habeat spiritalem actum? vel quomodo percipiat sensilia, si supra sensum omnem sit collocatus? atqui Eloquia tradunt, Deum omnia nosse, nihilque divinam effugere cognitionem: verum, ut sæpenumero dixi, divina prout Deo competunt accipienda sunt. Nam amentia et insensilitas, per excessum, non per defectum Deo tribuuntur; sicut etiam rationis carentiam ei qui supra rationem est attribuimus, et imperfectionem supraquam perfecto ac præperfecto; et caliginem, quæ tactum visumque fugiat, luci inaccessæ accomodamus, secundum quod excellit lucem spectabilem. Itaque mens divina comprehendit omnia cognitione quadam eminenti, qua secundum ipsammet omnium causam in se omnium cognitionem anticipat, prius quam Angeli fierent cognoscens Angelos, eosque creans, cæteraque omnia intus et ab ipso, ut ita dicam, exordio noscens, et in rerum naturam proferens; idque arbitror Scripturam significare, cum ait, Qui novit omnia priusquam fiant. Non enim ex rebus ipsis res discens, novit eas divina mens, sed ex seipsa et in seipsa, secundum causam omnium scientiam et notionem et essentiam

Quomodo Deus omnia norit sine actione.

Illa quæ sunt negationis Deo per excessum tribui.

Dan. 13. 42.

Quomodo Deus omnia

Digitized by Google

cognoscenda anticipet.

præhabet, et ante comprehendit, non singulis secundum cujusque speciem intendens, sed secundum unicam causæ complexionem cuncta sciens et continens: sicut et lux secundum causam tenebrarum notionem anticipat, non aliunde quam ex luce tenebras noscens. Seipsam igitur divina sapientia noscens, sciet omnia; materialia sine materia, et indivise divisibilia, et unice multa, ipso uno omnia et cognoscens et producens: nam si secundum unam causam Deus omnibus esse impertit, secundum eamdem unicam causam sciet omnia tamquam ex se existentia, et in seipso ante præexistentia, et non ex rebus rerum accipiet notionem, sed et ipsis singulis ipsarum aliisque aliarum notitiam largietur. Non habet itaque Deus peculiarem scientiam sui, aliam vero communem res omnes complectentem, ipsa enim omnium causa seipsam cognoscens, nullo modo ea quæ ab ipsa, et quorum causa est, ignorabit. Hac igitur Deus res cognoscens, non scientia rerum, sed scientia suiipsius ipsas novit: etenim Angelos quoque Scriptura testatur ea scire quæ in terra sunt, non secundum sensus illa cognoscentes quæ sensibilia sunt, sed secundum virtutem ac naturam mentis deiformis.

Deus in se ipso novit omnia.

Angelos sensilia intellectiliter nosse.

§. 3. *Deus ut in se est nobis incognitus.*

Præterea quærendum est, quomodo nos Deum cognoscamus, qui neque sensu percipitur nec intelligentia, et nihil omnino est ex iis quæ sunt. An non potius vere dicatur, quod Deum non cognoscimus ex natura ejus (id enim quod natura ejus est incognitum est, et omnem rationem ac mentem superat) sed ex ordine omnium rerum, tamquam ab ipso

Digitized by Google

proposito, et imagines quasdam ac similitudines exemplarium ejus divinorum in se habente, ad cognoscendum illud summum bonum et omnium bonorum finem, via et ordine pro viribus ascendimus in ablatione et in superlatione omnium, et in omnium causa. Quocirca Deus in omnibus cognoscitur, et separatim ab omnibus; et per cognitionem Deus cognoscitur ac per ignorationem; et est de eo cognitio, ratio, et scientia, et tactus; et sensus, et opinio, et cogitatio, et nomen, et alia omnia; et neque intelligitur, neque dicitur, neque nominatur, neć est aliquid eorum quæ sunt, nec in aliquo eorum quæ sunt cognoscitur; et in omnibus omnia est, et nihil in ullo; et ex omnibus ab omnibus cognoscitur, et a nullo ex ulla re: utique de Deo ista rectè dicimus, et ex omnibus quoque rebus celebratur, secundum omnium quorum ipse causa est proportionem. Est item divinissima Dei notitia, quæ per nescientiam accipitur, secundum illam, quæ supra intellectum est, unionem, quando mens a rebus omnibus recedens, ac demum semetipsam deserens desuper fulgentibus radiis unitur, quibus in illo inscrutabili sapientiæ profundo collustratur. Attamen (ut dixi) ex iis quoque omnibus est agnoscenda, quoniam ipsa, secundum Scripturam, est omnium effectrix, quæque semper erat cuncta componens, et indissolubilis rerum omnium connexionis ordinisque causa, semperque fines præcedentium cum principiis sequentium connectit, unicamque totius universi concordiam et consonantiam concinnat.

Deus cognoscitur per cognitionem et ignorationem.

Divinissima Dei notitia est per ignorationem.

Prov. 8. Sap. 7.

Deus etiam ratio prædicatur a Scripturis, non solum quia rationis et mentis et sapientiæ largitor

§. 4. *Deus unde*

Digitized by Google

dicatur ratio.

est, sed quia causas omnium in se ipso * uniformiter anticipavit, et quia per omnia meat, pervadens, ut ait Scriptura, usque ad finem omnium: et potissimum, quia Ratio Dei supra omnem simplicitatem simplex est, et ab omnibus supra omnia, supra substantiam absoluta. Ratio hæc simplex est ac vere existens veritas, circa quam, ut puram et infallibilem universorum notionem, fides divina versatur, quæ est constans fidelium firmamentum fundans illos in veritate, atque in ipsis veritatem, dum indissuasibili idemtitate simplicem veritatis cognitionem habent rerum credendarum. Nam si cognitio res cognitas cum cognoscentibus unit, ignoratio vero ignoranti causa est ut semper mutet, atque a seipso discrepet, eum qui credit in veritate, juxta Scripturam, nihil a vero fidei fundamento dimovebit, in quo constantiam habebit immobilis et immutabilis idemtitatis. Probe namque novit quisquis unitus est veritati, quam bene se habeat, quamvis eum multi ut amentem arguant: latet enim illos, uti par est, eum per veræ fidei veritatem ex errore excessisse; ipse autem vere novit se, non (ut illi fabulantur) insanire, sed ab instabili mutabilique omnimodè errantis varietatis motione per simplicem, circa eadem semper et eodem modo se habentem, veritatem esse liberatum. Hoc modo primi divinæ sapientiæ nostri præceptores pro veritate quotidie moriuntur, testificantes, uti par est, et sermone et opere singularem illam Christianæ veritatis agnitionem, omnium esse cum simplicissimam tum divinissimam, imo potius hanc solam esse veram atque unicam simplicem Dei notitiam.

* Id est, *sine ulla compositione.* Sap. 8.

Verbum Dei simplex veritas et fidei fundamentum.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De potentia, justitia, salute, redemptione; ubi etiam de inæqualitate.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Petit, quomodo Deus, qui est supra omnem virtutem ac potestatem, etiam virtus seu potestas appelletur. 2. Dicit, Deum virtutem seu potestatem nuncupari, ex eo quod omnipotens sit, et omnis virtutis ac potestatis auctor. 3. Ostendit, quomodo divina omnipotentia cuncta pervadat. 4. Hanc Angelis omnem vim ac potestatem, qua pollent, impertiri. 5. Similiter homines, animalia, cæteraque omnia corroborare et in statu suo conservare. 6. Demonstrat, summæ esse potentiæ, quod Deus semetipsum negare non possit. 7. Tradit, unde Deus etiam justitia appelletur, ejusque munus explicat. 8. Cur Deus relinquat in hoc mundo Sanctos affligi. 9. Unde Deus etiam salus nuncupetur ac redemptio.

§. 1. *Quomodo Deus, qui supra omnem potentiam est, potentia vocetur.*

Sed cum divinam veritatem ac supraquam sapientem sapientiam, ut potentiam quoque et justitiam Theologi collaudent, nec non ipsam quoque salutem ac redemptionem vocent; agedum etiam hæc Dei nomina, quoad possumus, enucleemus. Quod Deus quidem, deificationis princeps, supra omnem potentiam feratur, et omnem potentiam, quomodocumque est et excogitatur, exsuperet, non puto ullum ex iis qui in Scripturis divinis alti sunt et educati, ignorare: multis enim in locis Scriptura et dominationem ipsam esse tradit, et ab ipsis supracælestibus potentiis separat. Quomodo igitur Theologi tamquam potentiam laudant, quæ extra omnem poten-

2. Pet. 2. Psal. 23.

Digitized by Google

tiam posita est? aut quomodo in ea nomen potentiæ accipiemus?

§. 2. *Deum dici potentiam, tamquam ejus auctorem et omnipotentem.*

Dicimus igitur, Deum esse potentiam, ut qui præhabet in se et supra quam habet omnem potentiam; et ut omnis potentiæ auctor, et ut omnia inflexibili et incircumscripta potentia producens, et ut auctor ipsius esse potentiæ, tam universalis quam cujusque particularis; et ut infiniti-potens, non solum omnem potentiam producendo, sed etiam supra omnem potentiam, et supra ipsam per se potentiam existendo; et quod desuper possit innumerabiliter infinitas alias potentias producere; et quod infinitæ infinito numero productæ potentiæ numquam queant supraquam infinitam potentiæ ejus potentificæ effectionem hebetare; quodque ineffabilis et incognoscibilis et inexcogitabilis sit omnia transcendens ejus potentia, quæ exuberantia potestatis potentem reddit infirmitatem, cujus extremos quoque terminos continet penetratque, sicut in iis quæ sensum valde feriunt videmus, prælucida lumina hebetes quoque videndi facultates perstringere; et ingentes ajunt strepitus audiendi quoque sensus, sono capiendo parum idoneos, penetrare. Quod enim penitus non audit, jam non est auditus; neque visus, quod non cernit omnino.

§. 3. *Omnipotentia Dei cuncta pervadit.*

Hæc igitur potentia Dei infiniti-potens in omnia quæ sunt meat, et progreditur, nihilque eorum quæ sunt sic omnino nudatum est, quin aliquam potestatem habeat; quin potius potestatem habet vel intelligentem vel ratiocinantem, vel sentientem vel viventem, vel propriam substantiæ: et ipsum esse, si

Digitized by Google

fas est dicere, potentiam, habet ut sit ab ipsa supraessentiali potentia.

§. 4. *Ex ipsa sunt virtutes Angelorum.*

Ex ipsa sunt deiformes Angelicorum ordinum potentiæ; ex ipsa quoque habent statum immutabilem, nec non omnes suas spiritales et immortales ac perpetuas motiones, ipsamque constantiam bonique appetitum, qui minui non possit, ab immensæ bonitatis potentia receperunt, cujus munere habent, ut et possint et sint hæc ipsa, semperque esse desiderent, et id ipsum posse desiderare semper possint.

§. 5. *Ex ipsa homines et animalia vim suam habent.*

Porro indeficientis istius potentiæ munera in homines quoque dimanant, et in animalia et plantas, totamque naturam universi: corroborat enim illa, quæ unita sunt, ad mutuam amicitiam ac communionem, et quæ distincta sunt, ut secundum suam quæque rationem ac definitionem impermixta quoque et inconfusa consistant; nec non universi hujus ordines ac directiones in bono proprio conservat, atque immortales Angelicarum unitatum vitas inviolabiles, et cælestium luminum siderumque substantias atque ordines servat immutabiles, sæculaque ut esse possint indulget; temporum quoque circumvolutiones progressibus quidem distinguit, reditibus vero colligit; et ignis vires inextinctas facit, nec non aquæ fluenta perennia; aeriam quoque fusionem terminat, atque terram supra nihilum firmat, ejusque vivificos partus incorruptibiles custodit: quin et elementorum inter se congruentiam atque temperiem inconfusam et indivisam servat, atque animæ et corporis nexum continet, stirpiumque altrices auctricesque vires suscitat; nec non essentiales rerum om-

Hæc cuncta subsistunt et conservantur.

Digitized by Google

nium facultates et indissolubilem totius universi tuetur mansionem, quin et ipsam quoque deificationem præstat, et virtutes ad eam requisitas iis qui deificandi sunt præbet, denique nihil est in universum, quod omnipotentis tutela et conservatione divinæ potentiæ privatum sit. Quod enim universe nullam habet potestatem, nec est, nec quidquam est, nec est funditus ullus ejus situs.

§. 6. *Quomodo Deus seipsum negare non potest.*

Atqui inquit Elymas magus. Si omnipotens est Deus, quomodo a Theologo vestro aliquid non posse dicitur? Insimulat autem divinum Paulum, dicentem, non posse Deum semetipsum negare. Hoc autem dum propono, vehementer metuo, ne ut amens videar, qui ludentium puerorum structuras arenaceas et infirmas everterè moliar, atque ad hujus loci scopum, tamquam qui attingi nequeat, quasi collimando connitar sensum ejus Theologicum attingere; siquidem suipsius negatio, est a veritate prolapsio; veritas autem est id quod est; et a veritate defectio, est ab essendi statu dimotio. Si itaque veritas est id quod est, negatio autem veritatis, est ab essendi statu prolapsio, utique essendi statu frustrari Deus nequit, neque potest non esse; ac si quis dicat, non potest non posse, et nescire nescit per privationem. Hoc sapiens ille non intelligens, athletas imperitos imitatur, qui sæpenumero imbecilles sibi adversarios proponunt, et dum videntur sibi cum absentibus illis fortiter in umbra dimicare, aeremque cassis ictibus constanter feriunt, existimant se ipsos adversarios suos superasse, seseque jam victores jactitant, cum robur eorum nondum habeant exploratum. Nos

2. Tim. 2. 13.

Digitized by Google

autem ad Theologum, in quantum fieri potest, collimando collaudamus Deum præpotentem ut omnipotentem, ut beatum, solumque potentem, utpote qui potestatis suæ principatu ipsimet æternitati dominetur, nullaque umquam re frustratus; quin imo, ut qui desuper habeat et præhabeat omnia quæ secundum potentiam suam supraessentialem existunt, omnibusque rebus, tam ut esse possint quam ut sint, secundum affluentiam superabundantis potestatis copiosa fusione largiatur.

§. 7. *Deus unde dicatur Justitia.*

A justitia autem rursus laudatur Deus, quod omnibus, ut dignum est, tribuat et congruentem modum, et pulchritudinem, et compositionem ordinis et dispositionem: et omnibus dispertiat, et singulis ordines præstituat, secundum veram et justissimam præscriptionem; et omnibus suæ cujusque actionis auctor sit. Omnia enim divina Justitia ordinat, et determinat, omniaque ab omnium mixtione et confusione libera servans, cuique convenientia rebus omnibus tribuit, prout cujusque congruit dignitati. Etenim si hæc recte dicimus, ii qui divinam Justitiam cavillantur, dum minime advertunt, suam ipsi injustitiam manifesto damnant: ajunt enim, mortalibus debere inesse immortalitatem, et rebus imperfectis perfectionem, iisque quæ seipsis moventur aliunde motam necessitatem, ac mutabilibus idemtitatem, et imbecillibus perficiendi potestatem, item ea quæ temporanea sunt esse perpetua, et immutabilia quæ a natura moventur, et temporaneas voluptates æternum perdurare, atque universe illa quæ aliorum aliis attribuunt. Sed sciendum est, divinam

Digitized by Google

Justitiam hoc ipso revera veram esse justitiam, quod omnibus quæ sua sunt tribuat pro merito singulorum, atque naturam cujusque in ordine proprio potentiaque custodiat.

§. 8. *Cur Deus relinquat sanctos affligi.*

At dixerit aliquis: Non est Justitiæ, permittere viros sanctos auxilio destitutos a pessimis quibusque conculcari. Cui respondendum, quod si quidem illi, quos appellat sanctos, terrena diligunt quæ ab amatoribus rerum materialium ambiuntur, vel hoc ipso jam a divino amore penitus exciderunt. Neque sane intelligo, quanam ratione sancti dici possint, qui res vere amandas et divinas contumeliis afficiunt, dum eas rebus fugiendis et abominandis, quas nefarie insectantur, minime præferunt. Sin autem ea quæ vere sunt amarent, gauderent utique, quod voti compotes fieri possint. Numquid tunc magis ad Angelicas virtutes accedunt, cum rerum divinarum studio, quantum possunt, a materialium affectione recedunt, et ad hoc viriliter exercentur periculis quæ honesti causa subeunt? Itaque hoc vere dici potest, divinæ Justitiæ magis congruere, ut numquam patiatur proborum virorum virile robur rerum materialium largitionibus enervari atque emolliri; quin potius, si quis id tentaverit, divinis auxiliis suffultos in præclaro illo et inconcusso statu solidare, nec non perseverantes pro meritis remunerari.

§. 9. *Deus unde salus dicatur.*

Hæc etiam divina Justitia tamquam omnium salus celebratur, quod propriam cujusque rei puram ab aliis essentiam ordinemque conservet ac tueatur, nec non vera causa sit, ut actionem quæque suam universa prosequantur. Si quis vero salutem laudet,

Digitized by Google

quatenus a rebus deterioribus cuncta salubriter defendit, hunc nos, tamquam omnigenæ salutis laudatorem, admittemus petemusque, ut illam primam omnium salutem statuat, quæ omnia sic immutata et inconcussa servat, ut in deterius numquam vergant; et inexpugnata invictaque suis quæque rationibus distincta custodit, omnem inæqualitatem et alienam actionem ab universis eliminans, atque cujuslibet proportiones ita confirmans, ut in contrarium neque mutari possint neque transferri. Quin et hanc salutem nequaquam, præter sacræ Theologiæ propositum laudare quis possit, tamquam quæ res omnes, prout cujusque rei quæ servantur natura fert, a bonorum suorum amissione liberet: undè Theologi quoque illam vocant Redemptionem, in quantum non sinit ea quæ vere sunt in nihilum relabi, et si quid peccatum sit, ac præter ordinem erratum, ex quo bonorum suorum aliquod detrimentum passa sit, perfectio illico quoque jacturam illam et imbecillitatem privationemque resarcit, id quod deest supplens, ac paterne remissionem donans, et e malo erigens, imo potius in bono collocans, atque bonum quod effluxerat adimplens, ordinansque et exornans id quod inordinatum erat et difforme, ita ut redintegret omnino et ab omni labe liberet. Hoc quidem de his dictum ac de Justitia quæ omnium æqualitatem dimetitur et definit, omnemque inæqualitatem, quæ secundum privationem æqualitatis singulorum sumitur, exterminat: inæqualitatem enim si quis accipiat et interpretetur differentias, quibus res omnes inter se distinguantur, hujus etiam custos et

Unde Redemptio.

Digitized by Google

conservatrix est Justitia; cum omnia in omnibus permixta confundi minime patiatur, sed ea quæ sunt omnia custodiat secundum suam quæque speciem, in qua esse debent.

CAPUT IX.

De magno, parvo, eodem, alio, simili, dissimili, statu, motu, æqualitate.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Dicit, Deum in Scripturis vocari magnum, parvum, eumdem, alium, etc. 2. Explicat, quo sensu Deus dicatur magnus. 3. Quo sensu parvus. 4. Quo sensu idem. 5. Quo sensu aliud, et quomodo accipienda sit in Deo longitudo, latitudo, profundum. 6. Quo sensu dicatur Deus similis, cum tamen causarum ad effectus non sit proprie similitudo. 7. Quo sensu dicatur dissimilis. 8. Quo sensu stare vel sedere. 9. Quo sensu dicatur moveri, et quomodo Deo conveniat triplex motus. 10. Quo sensu dicatur æqualis.

§. 1. *Deum in Scripturis magnum, parvum, eumdem, alium, etc. vocari.*

Quoniam vero etiam magnum et parvum attribuitur omnium auctori, et idem et aliud, et simile et dissimile, et status et motus, agedum quoque hæc divinorum nominum simulacra, quatenus nobis patent, intueamur. Magnus quidem Deus in Scripturis laudatur, et in magnitudine, et in aura tenui quæ divinam insinuet parvitatem: idem quoque, ut in illo Scripturarum loco, *Tu autem idem ipse es:* et alius ac diversus, ut cum multarum figurarum ac formarum ab eadem Scriptura fingitur: et similis, ut similium ac similitudinis conditor; et dissimilis om-

Psal. 101. 28.

Digitized by Google

nibus, ut cui non sit similis: stans etiam et immobilis, ac sedens in sæculum; et mobilis, ut qui per omnia penetret: et quæcumque alia divina nomina his æquipollentia a Scripturis celebrantur.

§. 2. *Quo sensu Deus dicatur magnus.*

Ac magnus quidem Deus appellatur, secundum sibi propriam magnitudinem, quæ magnis omnibus de se communicat, et omni magnitudini extrinsecus superfunditur et supra-expanditur, locum omnem complectens, omnem numerum excedens, omnem transiliens infinitatem, et juxta supraquam plenitudinem suam ac magnificentiam, fontalesque suas distributiones, quatenus hæ omnibus infinita profusione communicatæ, manent prorsus imminutæ, et eamdem habent supraquam plenitudinem, neque participationibus minuuntur, quin imo magis redundant. Hæc magnitudo et infinita est, et quantitatis ac numeri expers: et hæc est excellentia secundum effusionem absolutam et supraquam extensam magnificentiæ non comprehensæ.

§. 3. *Quo sensu Deus dicatur parvus.*

Parvum vero sive subtile, in ipso dicitur, quod omnem molem et distantiam effugit, et absque impedimento cuncta pervadit. Atqui etiam omnium elementaris causa est illud parvum: numquam enim formam parvi reperies non participatam. Sic igitur in Deo accipiendum est parvum, ut in omnia et per omnia expedite means, et operans, et pervadens ***usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque et medullarum***, discretivum concupiscentiarum ***et cogitationum cordis,*** imo omnium quæ sunt, non enim est creatura ulla invisibilis in conspectu ejus. Hoc parvum est sine quantitate, sine quali- Heb. 4. 12.

Digitized by Google

tate, sine inhibitione, infinitum, incircumscriptum, omnia comprehendens, ipsum vero a nullo comprehendi potest.

§. 4. *Quo sensu Deus dicatur idem.*

Idem autem ipsum est supersubstantialiter æternum, inconvertibile, secundum eadem in semetipso manens semper, et eodem modo se habens, omnibus æque præsens, atque ipsum per se et in seipso firmiter et intemerate in pulcherrimis supraessentialis suæ idemtitatis finibus locatum, immutabile, lapsus expers, permanens, invariabile, non permixtum, expers materiæ, simplicissimum, non indigens, non augescens, non imminutum, ingenitum, non tamquam nondum factum; aut imperfectum, aut ab hoc aut hoc non factum, neque tamquam nullo modo existens; sed tamquam omnino ingenitum, et absolute ingenitum, et semper existens, et per se perfectum, atque idem secundum se, atque a seipso uniformiter et eadem specie determinatum, atque illud idem etiam omnibus ejus participandi capacibus adflans, et affluentia idemtitatis, et causa alia aliis coordinans, et idemtidem in semetipso ea quæ inter se contraria sunt superhabens secundum unam atque unicam causam eminentem totius idemtitatis.

§. 5. *Quo sensu Deus dicatur aliud.*

Aliud autem, quia cunctis providentia sua Deus adest, et propter omnium conservationem fit omnia in omnibus, dum in semetipso propriaque idemtitate inemananter permanens, et secundum unam incessantem operationem sibi ipsi adhærens, virtute quadam indeficiente semetipse tradit, ad divinam formam conversis imprimendam: variarum autem Dei, secundum multiformes visiones, figurarum diversi-

Digitized by Google

tate, quædam alia ab iis quæ visis insinuantur, significari putandum est. Quemadmodum enim si quis cogitando animam ad corporeæ figuræ modum ipsam repræsentaret, et rei partium experti partes corporeas affingeret, alio modo in ea partes, quæ illi attributæ essent, intelligeremus, prout nimirum convenit ipsius individuitati: et caput quidem intelligentiam, cervicem vero opinionem (utpote mediam inter rationem atque irrationalitatem) pectus autem iram, ventrem vero cupiditatem, crura denique ac pedes naturam diceremus, istarum partium nominibus pro facultatum symbolis utendo; ita multo sane potiori ratione, in eo qui omnibus eminet, diversitas illa formarum atque figurarum, sacris quibusdam ac Deo congruis mysticisque explanationibus, anagogice est describenda. Et si tripartitas corporis figuras ipsi Deo, qui tangi ac figurari nequit, attribuere volueris; divina quidem latitudo dicenda est, latissima ad universas res progressio; longitudo autem, potentia quæ supra omnia expanditur; profundum vero, arcanum illud omnibus inaccessum, ejusdemque ignoratio. Verum ne fallamus nosmetipsos, dum variis figuris formisque explicandis insistimus, divinarum rerum incorporeas appellationes cum signorum sensibilium appellationibus confundendo, de his in Symbolica Theologia disseruimus: nunc autem divinam diversitatem, ne mutationem quamdam ejus, qui immutabiliter idem est, esse suspicemur, sed potius multiplicationem singularem, et emanationes simplices ad omnia.

Quæ sit longitudo, latitudo et profunditas in Deo.

Digitized by Google

§. 6. *Quo sensu Deus dicatur similis.*

Similem vero Deum si quis dicat ut eumdem, et ut totum per totum sibi unite et impartibiliter similem, non est improbandum nomen divinum similis. Theologi tamen Deum, qui est supra omnia, quatenus ipse est, nullius similem esse ajunt, sed ipsum divinam similitudinem dare iis qui ad eum convertuntur, dum eum supra omnem terminum ac rationem pro viribus imitantur. Atque hæc est divinæ similitudinis vis, ut omnia quæ producta sunt, ad auctorem suum convertat. Ista igitur Deo similia dicenda sunt, ut ad ejus imaginem ac similitudinem efficta: non autem Deus iis similis dicendus est, quia ne quidem homo est imagini suæ similis; quoniam quæ æqualia sunt, possunt quidem sibi invicem esse similia, et ad utraque potest ista similitudo reciprocari, ut sint ambo invicem similia secundum principalem speciem similitudinis; in causa vero ad effectus nequaquam admittemus istiusmodi reciprocationem. Neque enim solis his aut illis dat Deus ut similia sint, sed causa est cur similia sint omnia, quibuscum similitudo est communicata, idemque est etiam ipsius similitudinis auctor; et quidquid est in omnibus simile, vestigio quodam divinæ similitudinis simile existit, et eorumdem conjunctionem explet.

Causa ad effectus non esse similitudinem.

§. 7. *Quo sensu Deus dicatur dissimilis.*

Sed quorsum hæc dicuntur? Nam et ipsamet Scriptura dicit Deum esse dissimilem, nulliquc confrendum, ut ab omnibus diversum, et, quod magis mirandum est, nihil ei esse simile. Veruntamen nequaquam id ejus similitudini repugnat; nam eadem Deo et similia sunt et dissimilia: similia quidem, secundum possibilem qui ejus participari nequit participa-

Digitized by Google

tionem; dissimilia vero, secundum effectuum a causis differentiam infinitis prorsus parasangis incomparabiliter distantem.

§. 8. *Quo sensu Deus dicatur stare vel sedere.*

Quid autem de divino statu vel sede dicamus? Quid, inquam, aliud, præterquam manere Deum in seipso, et in eodem statu immobili firmè fixum, et supraquam fundatum esse stabiliter, et secundum eadem et circa idem ipsum et similiter operari, et omnino esse a seipso immutabilem, et non posse transmoveri, et esse ex toto immobilem, atque hæc quidem supra substantiam; ipse enim est omnis status et sessionis auctor, qui supra sessionem omnem ac statum existit, et in ipso cuncta consistunt, dum in bonorum suorum statu inconcussa conservantur.

§. 9. *Quo sensu dicatur Deus moveri.*

Quid porro, quando iterum Theologi tradunt, eum qui immobilis est ad universa procedere ac moveri, nonne id etiam ratione quadam Deo congrua intelligendum est? Pie siquidem putandum est ipsum moveri, non secundum delationem, vel immutationem, vel alterationem, vel conversionem, aut localem motum, vel rectum, vel orbicularem, vel ex utrisque constantem, vel intellectilem, vel animalem, vel naturalem, sed secundum quod Deus omnia in rerum naturam producit continetque, atque omnibus modis rebus omnibus providet, omnibus adest incomprehense omnia complectendo, idque omnibus providentiæ viis et operationibus. Quin et immobilis Dei motus ratione quadam Deo convenienti possit prædicari. Ac rectus quidem intelligendus de inflexibilitate et indeclinabili progressu operationum, eoque, qui ex ipso est, rerum omnium ortu; obliquus au-

Quomodo Deo conveniat triplex motus.

Digitized by Google

tem de illarum stabili progressu ac fæcundo statu; circularis denique de idemtitate ac complexione mediorum atque extremorum quæ continent atque continentur, et de illorum, quæ ab ipso prodierunt, ad ipsum conversione.

§. 10. *Quo sensu Deus dicatur æqualis.*

Si quis vero in sanctis Scripturis nomen, quo Deus nominatur idem, et quo nominatur justus, in nomine divino, quo nominatur æqualis, accipiat, dicendum est, Deum esse æqualem, non solum ut expertem partium, et qui a recto declinare non possit, sed ut in omnia et per omnia æqualiter meantem, et ut per se æqualitatis effectorem, secundum quam æqualiter operatur similem omnium per ipsa inter se incessum, et participationem æqualiter participantium, ut quodque eorum aptum est, et æqualem in omnia pro cujusque dignitate distributionem; et quatenus omnem æqualitatem intellectilem, intelligentem, ratiocinantem, sentientem, substantialem, naturalem, voluntariam, exempte et unite in se ipse anticipavit, secundum virtutem omnia superantem, omnisque æqualitatis effectricem.

CAPUT X.

De omnitenente, antiquo dierum; in quo etiam de ævo seu æternitate et tempore.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Dicit, unde Deus dicatur παντοκράτωρ seu omnitenens. 2. Unde dictus sit antiquus dierum. 3. Quid sit tempus, et æternitas seu ævum, et quibus competat.

§. 1. *Unde dicatur*

Sed tempus est oratione nostra Deum multinomium, ut omnitenentem, et ut antiquum dierum, prædicandi.

Digitized by Google

Deus omnitenens.

Ac omnitenens quidem dicitur, quod ipse sit omnium sedes, omnia continens atque complectens, et cuncta stabiliens, fundans atque constringens, et universum insolubile in seipso præstans, et ex se, veluti ex omnitenente radice, cuncta producens, atque ad se, tamquam ad fundum, omnitenens, universa convertens, et continens, ut omnium sedes omnicapax, omnia contenta una præcellenti connexione communiens, neque sinens ea sibi excidere, ne, tamquam perfecta domo mota, dispereant. Dicitur autem omnitenens Deus, ut omnia dominatu suo tenens, et qui iis quæ gubernat præest immixte, et ut omnibus desiderabilis et amabilis, et cunctis juga voluntaria imponens, et dulces parturitiones amoris divini et omnitenentis, et insolubilis ipsius bonitatis.

§. 2. Unde Deus dicatur esse antiquus dierum.

Laudatur autem Deus ab antiquitate dierum, quia ipse est omnium ævum et tempus, ante dies, ante ævum, ante tempus; et quidem tempus et dies et tempestivitas appellandus est ipse, ut Deum decet, tamquam qui omni motu est immutabilis et immobilis, et semper movetur, manens in se ipso, et tamquam auctor ævi et temporis et dierum. Quamobrem etiam in sacris mysticarum visionum apparitionibus et antiquus et novus fingitur; quorum prior quidem veterem et eum qui est ab initio, junior autem insenescibilem significat; aut utrumque eum ab initio ad finem per omnia progredi declarat: vel, ut divinus noster præceptor ait, utrumque divinam antiquitatem indicat, ita tamen, ut senex id quod primum est ordine temporis, juvenis autem, sive novus, id quod in numero est præstantius contineat; quan-

Digitized by Google

doquidem unitas, quæque ei vicina sunt numeris longius progressis præstent.

§. 3. *Quid sit tempus et æternitas seu ævum, et quæ ab iis denominentur.*

Operæ pretium autem duco, ut temporis et ævi seu æternitatis naturam ex Scripturis sacris addiscamus: neque enim omnino et absolute sunt ingenita vereque sempiterna, quæ passim æterna vocant et incorrupta, immortaliaque et immutabilia, atque eodem modo se habentia: sicut cum ajunt, *Elevamini portæ æternales*, et similia. Sæpenumero etiam antiquissima quæque æternitatis appellatione significant, ut cum universam temporis nostri durationem æternitatem vocant, quatenus videlicet antiquum esse et immutabile, totumque rerum statum mensurare proprium est æternitatis. Tempus vero appellant id quod mensurat generationem et corruptionem atque alterationem, quodque alias aliter se habet: atque ita nos, quos hic tempus definit et circumscribit, æternitatem consecuturos esse Scriptura tradit, cum ad æternitatem quæ non interit, sed semper eodem modo se habet, pervenerimus. Quin etiam in Scripturis aliquando ævum temporale et æternum tempus celebratur; tametsi scimus, ab ipsis quæ magis proprie sunt, potius per ævum, quæ autem fiunt, potius per tempus efferri et declarari. Oportet igitur non simpliciter arbitrari ea quæ æterna dicuntur, coæterna esse Deo, qui est ante æternitatem, sed potius, sequentes incorrupte Scripturas maxime venerandas, oportet æterna quidem, et quæ in tempore sunt, secundum modos in eis notos accipere; media vero inter ea quæ sunt et quæ fiunt illa numerantur, quæcumque partim ævum et par-

Psal. 23. 7. 9.

Digitized by Google

tim tempus participant. Deum autem ut ævum et ut tempus celebrare oportet, tamquam omnis temporis et ævi auctorem, et antiquum dierum, tamquam ante tempus, et supra tempus, et ut variantem tempestivitates et tempora; et rursus ut ante sæcula existentem, quatenus est ante sæculum, et supra sæculum, sive ævum, et regnum ejus regnum omnium sæculorum. Amen.

CAPUT XI.

De pace, quidque sibi velit ipsum per se esse, quæ sit per se vita, quæ vis ipsa per se, et quæ ita dicuntur.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Describit quænam sit pax divina, quæ res omnes coordinat atque conciliat, et quinam sint ejus effectus. Quomodo item silentium illud ignotum Dei exprimi non possit. 2. Quomodo Deus per se pacis, et universalis et particularis pacis auctor cuncta pacifice conciliet, et ad omnia pertingat. 3. Quomodo pax inter tot et tam contraria servetur. 4. Quomodo pax in iis quæ semper moventur, reperiatur. 5. Nihil in natura rerum sine pace consistere. 6. Quomodo Deus dicatur per se vita, per se sapientia etc. et per se vitæ, et per se sapientiæ auctor. Et quid sit per se bonitas, et per se divinitas.

§. 1. *Quid sit divina pax et munus ejus.*

Age jam divinam pacem, ut conciliationis principem, pacificis laudibus prosequamur: hæc enim est quæ cuncta conjungit, et universorum concordiam ac connexionem gignit efficitque; quare etiam ipsam

Digitized by Google

expetunt universa, ut eorum divisam multitudinem ad integram quamdam redigat unitatem, atque intestinum bellum universi ad concordem inducat commorationem. Quin et divinæ pacis participatione primæ virtutes conciliatrices, et secum ipsæ et inter se, et cum una mundi pace prima conjunguntur; inferioraque tum ipsa secum, tum inter se conjungunt, tum cùm uno, eoque perfecto omnium pacis principio et auctore, qui ad omnia individue cum venit, quasi claustris ac septis quibusdam quæ divisa sunt copulat, omnia definit, determinat, et munit; neque permittit divisa in infinitum sine termino diffundi, neque inordinata, et sede carentia, Deoque destituta, suam unitatem egressa, sibi invicem confuse misceri. De ipsa igitur divina pace ac silentio, quam sanctus Justus vocat insonantiam et immobilitatem ad omnem emanationem quæ cognoscitur, quidnam tandem sit, et quomodo Deus quiescat et sileat, et quomodo in se et intra se sit, et totus secum sit supraquam unitus, et nec in se ingrediens, et se ipse multiplicans deserat unionem; quin potius ad omnia egreditur totus intus manens; propter excellentiam unionis omnia superantis, neque dicere neque cogitare ulli eorum qui sunt fas est, neque possibile. Sed cum hoc alioquin eloqui non possimus, nec assequi intelligendo, ad ipsam tamen divinam pacem, ut ultra omnia positam, sursum evecti, participationes ejus, quæ intelligunter et nominantur, idque, quantum homines (et nos præsertim qui multis bonis viris impares sumus) consequi possumus, attendamus.

Quid sit silentium Dei ignotum.

Digitized by Google

§. 2. *Quomodo Deus pacifice cuncta coordinet.*

Ac primum quidem hoc dicendum est, ut cum per se pacis, tum universalis ac particularis pacis, effector sit ipse Deus, et ut omnia inter se mutuo, minime confusa ipsorum inter se mutuo conjunctione, commisceat; qua conjunctione cohærentia sine divisione et distantia, singula tamen secundum propriam speciem pura consistunt, per concretionem contrariorum minime perturbata, quoniam exactam istam unionem ac puritatem nihil interrumpit. Unam igitur eamque simplicem naturam pacificæ unionis contemplemur, sibi ipsi et illis ipsis atque invicem omnia copulantem, nec non universa complexu quodam omnium inconfuso contemperata pariter atque impermixta conservantem. Per hanc divinæ mentes copulatæ, suis ipsæ cum intelligentiis tum rebus intellectis conjunguntur, atque denuo scandunt ad incognitum eorum quæ menti supereminent, contactum. Per hanc animæ, multigenas suas rationes connectendo, ad quamdam spiritalem puritatem redactæ, procedunt, sibi propria via et ordine, per immaterialem atque indivisam intelligentiam, ad unionem quamdam intelligentia superiorem. Per hanc una omnium et indissolubilis connexio, juxta divinam ipsius congruentiam, existit, et perfecto concentu ac concordia consensioneque coaptatur, dum sine confusione colligitur, ac sine dissolutione continetur. Integritas nimirum perfectæ pacis, per simplicissimam suam meramque virtutis unificæ præsentiam, ad ea quæ sunt omnia pertingit, omnia conjungens, et extremis extrema per media connectens secundum unicam connaturalem amicitiam

Quomodo divina pax ad omnia pertingat.

Digitized by Google

coagulata; quin et sui quoque vel extremis totius universi terminis fruendi copiam facit, omniâ consocians unitatibus, idemtitatibus, unionibus, congregationibus, dum scilicet divina pax indivulsa persistit, et in uno cuncta demonstrat, et ad omnia pertingit, et a propriâ nusquam idemtitate recedit: nam ad omnia procedit, suique participationem omnibus indulget secundum cujusque proprietatem, nec non pacificæ redundantia bonitatis exuberat, atque manet per excessum unionis tota ad totam, etiam secundum se ipsam totam desuper unita.

§. 3. *Quomodo pax inter tot et tam contraria servetur.*

Sed quomodo, dicet aliquis, omnia pacem appetunt? cum res plurimæ diversitate ac distinctione gaudeant, neque unquam sponte sua velint quiescere. Atqui si diversitatem atque distinctionem, qui sic loquitur, cujusque rei proprietatem esse asserat, cum res nulla, dum in suo statu permanet, eam perire velit, nos illi minime repugnabimus, sed id ipsum quoque pacis desiderium esse statuemus. Amant enim omnia cum semetipsis pacem habere, atque esse conjuncta, nec non se suaque omnia immota et illæsa persistere. Et est perfecta illa pax uniuscujusque proprietatis impermixtæ conservatrix, per providentias suas, pacis largitrices, omnia inter seipsa et cum aliis sine seditione et confusione custodiens, atque omnia stabili et nusquam declinante potentia ad ipsorum pacem immobilitatemque stabiliens.

§. 4. *Quomodo pax in iis quæ sem-*

Si cuncta porro quæ moventur, minime quiescere, sed cieri semper suo motu velint, vel is ipse movendi se appetitus ad divinam illam pacem univer-

Digitized by Google

salem pertinet, quæ omnia in seipsis ne elabantur servat, atque omnium eorum quæ moventur proprietatem motricemque vitam, ne a semetipsa desciscat excidatve, custodit, ut mota secum pacem habeant, et eo modo se habentia, quæ sua sunt, peragant. *per moventur, reperiatur.*

Cæterum, si quis diversitatem a pace prolapsionem asserens, confirmet pacem non esse omnibus amabilem; respondendum potissimum, nihil in natura rerum existere quod omni prorsus careat unione: id enim quod penitus instabile et infinitum, nullaque sede nixum interminatumque fingitur, næ illud ipsum per se nihil est, nec in aliquo existit. Sin objiciat, eos paci pacisque bonis adversari, qui litibus et furoribus, mutationibusque et instabilitatibus delectantur; verum et illi quoque obscuris quibusdam pacifici desiderii simulacris detinentur, dum perturbationibus variis aguntur, quas imperite sedare desiderant, et arbitrantur se pacem habere, si continuo fluentibus voluptatibus hauriendis insistant; et perturbantur, si rebus iis, a quibus ipsi devicti sunt, frustrentur. Quid porro dicet quis de Christi pacifica benignitate? qua docemur, non ultra bellum gerere, sive cum nobis ipsis, sive cum proximis, sive cum Angelis, quibus potius pro virili cooperandum est in iis quæ ad Deum spectant, juxta ipsius Jesu providentiam, quæ omnia in omnibus operatur, pacemque confert ineffabilem ab æterno prædefinitam, nosque sibi in spiritu et per se et in se ipsi Patri reconciliat. De quibus donis supernaturalibus satis superque dictum est in Theo- §. 5. *Nihil in rebus sine pace consistere.*

Digitized by Google

logicis institutionibus, sacra Scriptura nobis testimonium perhibente.

§. 6. *Quomodo Deus dicatur per se vita, et auctor per se vitæ, etc.*

Sed quia alias me per epistolam interrogasti, quid appellem per se esse, per se vitam, per se sapientiam, et tecum ais dubitasse, quomodo Deum aliquando quidem voco per se vitam, aliquando vero effectorem per se vitæ; necessarium esse arbitratus sum, homo Dei sancte, ab hac dubitatione, quoad possim, te liberare. Ac primum quidem, ut nunc repetamus quæ millies dicta sunt, non pugnant secum dicere, Deum per se potestatem, et per se vitam; et dicere, Deum creatorem per se vitæ, vel per se pacis, vel per se potestatis: hæc enim dicitur Deus ex iis quæ sunt, et maxime ex iis quæ prima sunt, tamquam causa omnium quæ sunt; illa autem dicitur, tamquam existens suprasubstantialiter supra omnia quæ sunt, et quæ primo sunt. Quæris autem quid prorsus dicamus per se esse, aut per se vitam, aut quæcumque absolute et principaliter esse, et ex Deo ac primo creata esse ponimus. Respondemus, non esse hoc contortum, sed rectum, et simplicem habens explanationem. Non enim illud per se esse, substantiam quandam divinam aut Angelicam esse dicimus, quæ sit causa ut sint omnia quæ sunt (solum enim qui est supraquam substantia, principium, et essentia, et causa est ut sint omnia quæ sunt, et ipsum per se esse) nec aliam divinitatem quæ vitam pariat, præterquam vitam supraquam divinam omnium quæcumque vivunt, et ipsius per se vitæ causam, ponimus; nec ut summatim dicam, alias causas principales rerum, et creantes et per se exi-

Digitized by Google

stentes, quas quidam et deos rerum et effectores esse temere effutiverunt, quos vere et proprie dicere (quippe cum non essent) nec ipsi nec eorum patres ac majores sciverunt: quin potius per se esse, et per se vitam, et per se divinitatem, principaliter quidem et divine et efficienter unum omnium principium et causam, supraquam principium et supraquam substantiam esse dicimus: ut autem in donis suis participatur Deus, providentias, a Deo, qui in se non participatur, manantes, dicimus per se substantiæ effectionem, per se vivificationem, per se deificationem; quorum participationem quæ, ut cuique convenit, habent, substantiam habentia, et viventia, et divina sunt, et dicuntur, et similiter in aliis. Quamobrem bonus ille et ipsorum quæ prima sunt auctor esse dicitur, deinde eorum quæ generatim et universe illa participant, postea eorum quæ in parte. Sed quid attinet de his dicere? siquidem nonnulli ex nostris divinis magistris etiam ipsius per se bonitatis ac deitatis constitutivam vocant supraquam bonam et supraquam divinam per se bonitatem ac divinitatem, dicentes esse bonificum et deificum donum a Deo profectum; et per se pulchritudinem, per se pulchrificam fusionem, et universalem pulchritudinem, et particularem pulchritudinem, et universe pulcra, et in parte pulchra, et quæcumque alia eodem modo dicta sunt, et dicentur, quæ declarant providentias et bonitates ab iis quæ in rerum natura sunt participatas, a Deo, qui est extra sui participationem, larga effusione dimanantes ac profluentes; ut qui est causa omnium, perfecte sit ultra omnia;

Quid sit per se bonitas et per se divinitas.

Digitized by Google

et qui substantiam et naturam exuperat, ex omni parte et in universum omnibus, cujuscumque substantiæ et naturæ sint, antecellat.

CAPUT XII.

De Sancto sanctorum, Rege regum, Domino dominantium, Deo deorum.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Ponit capitis hujus distributionem. 2. Explicat quid Sanctitas, quid Regnum, quid Dominatio, quid Deitas significent. 3. Quonam sensu hæc nomina de Deo prædicentur. 4. Quo sensu etiam dicatur Deus esse Sanctus sanctorum.

§. 1. *Distributio capitis.* Quoniam vero ea quæ de his dicenda erant, finem, uti puto, congruum acceperunt, is qui infinita habet nomina modo nobis etiam laudandus est ut Sanctus sanctorum, ut Rex regum, ut in æternum regnans et ultra, et ut Dominus dominorum, et Deus deorum. Primum itaque dicendum, quid sanctitatem ipsam esse censeamus, quid regnum, quid dominationem, quid Deitatem, et quid Scripturæ signare velint per illorum omnium geminationem.

§. 2. *Quid sit Sanctitas, quid Regnum, quid Dominatio, quid Deitas.* Sanctitas igitur (ut more nostro loquar) est, ab omni scelere libera, et omnino perfecta et omni ex parte immaculata puritas. Regnum autem est, omnis termini, ac mundi, et legis et ordinis distributio. Dominatio vero non minorum tantum excellentia, verum etiam omnium decorum ac bonorum completa possessio est, et vera et inconcussa firmitas; quapropter dominatio Græce a κύριος derivato nomine,

Digitized by Google

idem est quod firmatio, firmamentum et firmum, ac firmans seu ratificans. Deitas autem idem est atque omnium conspicax providentia, omnigena bonitate cuncta circumspiciens continensque, et seipsa complens atque transiliens universa quæ ipsius providentia fruuntur.

§. 3. *Quo sensu de Deo prædicetur sanctitas, etc.*

Hæc itaque omnia de causa illa transcendentali absolute prædicanda sunt, addendumque, ipsam esse supra eminentem sanctitatem, atque dominationem, et regnum omnium supremum, simplicissimamque Deitatem: siquidem ex ipsa singulariter et ubertim emanavit atque diffusa est omnis mera perfectio totius sinceræ puritatis, et omnis rerum dispositio atque distinctio, quæ inconcinnitatem et inæqualitatem ac disproportionem exterminat, et ad bene ordinatam idemtitatem ac rectitudinem informat, ac continet illa quæ jam digna fuerunt ejus participatione; quin etiam est perfecta, et omnis omnium quæ pulchra sunt possessio, et omnis divina providentia, quæ contemplatur et conservat ea quibus consulit, seque benigne effert, ad formandam in eis qui ad ipsum convertuntur divinitatem.

§. 4. *Quo sensu dicatur Deus sanctus sanctorum etc.*

Quoniam autem universorum auctor rerum omnium plenissimus est, secundum unam, quæ omnibus antecellit, excellentiam Sanctus sanctorum nominatur, uti et cætera secundum supraquam exuberantem causam, et eximiam præcellentiam, ut si quis dixerit: Quanto præstant sancta, vel divina, vel dominantia, vel regia iis quæ non sunt talia, et rursus ipsæ per se participationes participantibus; tanto est omnibus sublimior, qui est supra omnia,

Digitized by Google

et omnium participantium et participationum auctor imparticipabilis. Sanctos vero, et Reges, Dominosque, ac Deos Scripturæ appellant principaliores in unoquoque ordines, quorum opera dum inferiores Dei munera participant, eorumdem distributionum simplicitatem in suis distinctionibus multiplicant: horum autem varietatem primi ordines provide ac divine ad unitatem suam contrahunt.

CAPUT XIII.

De Perfecto, et Uno.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Docet, quo sensu Deus dicatur perfectus. 2. Quo sensu dicatur unus; et simul ostendit unitatem in rebus omnibus reperiri. 3. Unitate sublata, interire omnia, et ex uno Deo omnia existere; et quomodo Deus sit laudandus ut unus, et SS. Trinitas sit eminentissima unitas. 4. Ponit operis conclusionem.

§. 1. Atque ista de his dicta sint. Cæterum si placet, ad id quod potissimum est sermonem transferamus: etenim Theologia rerum omnium auctori cum omnia tum simul omnia tribuit, et ipsum ut perfectum et ut unum laudat. Perfectus itaque est, non tantum ut seipso perfectus, et per se a seipso uniformiter definitus, totusque secundum se totum perfectissimus; verum etiam ut supraquam perfectus, secundum omnium excessum: atque omnem quidem infinitatem definiens, supra omnem vero finem expansus, et a nullo comprehensus aut contentus, sed ad omnia

Quo sensu dicatur Deus perfectus.

Digitized by Google

pariter et supra omnia indeficientibus largitionibus et nunquam finiendis operationibus pertingens. Perfectus item dicitur, ut qui nullum accipiat incrementum, semperque perfectus sit, nec minui possit, omnia in seipso præhabens, et exuberans una et eadem incessabili et supraquam plena et imminuibili largitione, per quam omnia perfecta perficit, et unumquodque congrua sibi perfectione adimplet.

§. 2. *Quo sensu dicatur unus, id est sine compositione.*

Unus autem, quia est omnia unice secundum excellentiam unius unitatis, et omnium causa, non amittendo suam unitatem: nihil enim illius unius expers est, sed quemadmodum omnis numerus participat unitatem, atque unus binarius denariusque dicitur, et dimidium unum unaque tertia decimaque; similiter etiam omnia et quælibet particula particeps est unius, et hoc ipso quo quid unum sunt, etiam omnia sunt quæcumque sunt. Neque vero unum illud, quod est omnium causa, unum quid est ex pluribus, sed quod ante omne unum omnemque multitudinem, omne unum multitudinemque definit: neque enim umquam moltitudo expers est unius, sed ea quæ sunt multa partibus, sunt quid unum toto; et quæ sunt multa accidentibus, sunt quid unum subjecto; et quæ sunt multa numero vel virtutibus, sunt quid unum specie; et quæ sunt multa speciebus, sunt quid unum genere; et quæ sunt multa processionibus, sunt quid unum principio: neque quidquam est in rerum natura, quod non secundum aliquid participet unum in illo, quod per omnia unicum est, et omnia, etiam, tota universa et opposita, unice anticipavit. Ac sine uno quidem non erit

Unitatem in rebus omnibus reperiri.

Digitized by Google

multitudo, sed sine multitudine erit unum, sicut et unitas ante omnem numerum multiplicatum; et si quis omnibus omnia quæ unita sunt supposuerit, omnia erunt in toto quid unum.

§. 3. *Unitate sublata, interire omnia.*

Illud præterea sciendum, ut secundum uniuscujusque speciem præconceptam uniri dicantur ea quæ unita sunt, sitque unum omnium quasi elementum; et si sustuleris unitatem, neque totalitas, neque particula, neque aliud quidpiam in rebus erit: omnia enim in se unum uniformiter anticipant et complectuntur. Hac itaque ratione Scriptura totum Deum, tamquam omnium causam, sub unius appellatione laudat; atque hoc modo unus est Deus et Pater; et unus Dominus Jesus Christus, atque unus idemque Spiritus, per supraquam abundantem totius divinæ unitatis indivisibilitatem, in qua omnia unice sunt conjuncta, et supraquam unita, et præexistentia supra substantiam. Qnapropter etiam ad ipsam omnia jure merito referuntur, eique attribuuntur, a qua, et ex qua, et per quam, et in qua, et ad quam omnia sunt, et componuntur, et manent, et continentur, et complentur, et convertuntur: neque quidquam reperies eorum quæ sunt, quod non ex uno illo, secundum quod omnis divinitas supraessentialiter nominatur, et sit id quod est, et perficiatur ac conservetur. Oportet itaque et nos, a multis ad unum virtute divinæ unitatis conversos, singulariter laudare totam et unam divinitatem, unum, quod est omnium causa, ante omne unum et multitudinem, et partem et totum, finitionem et infinitionem, finem et infinitatem, omnia quæ sunt et

Ex uno Deo sunt omnia.

Quomodo Deus sit laudandus ut unus.

Digitized by Google

ipsum esse determinat; et omnium et totorum omnium, et simul ante omnia et supra omnia etiam unice causam, et quod supra ipsum unum, est id quod est et ipsum unum determinat, siquidem quod est unum, iis quæ sunt adnumeratur: numerus enim particeps essentiæ est. Quod autem est unum supra substantiam, et quod est unum, et omnem numerum definit, ipsum est et unius, et numeri, et omnis rei principium et causa, et numerus et ordo. Quamobrem et unitas quæ laudatur, et Trinitas quæ est divinitas supra omnia, non est unitas, neque Trinitas a nobis aut alio quopiam eorum quæ sunt cognita; sed ut quod in ipsa est supraquam in unum copulatum et fœcunditatem Dei vere laudemus, trinum et unum Deum nominamus illum, qui supra omne nomen est. Nulla autem unitas vel trinitas, neque numerus, nec unitas vel fœcunditas, nec aliud quidpiam eorum quæ sunt, aut eorum quæ alicui existentium sunt cognita, explicat arcanum illud omnem rationem et mentem superans superdeitatis, superessentialiter supra omnia superexistentis; hujus neque nomen neque rationem est assignare, sed inaccessum omnibus eminet. Quin nec ipsum quidem nomen bonitatis ei tamquam aptum accommodamus, sed desiderio aliquid intelligendi et dicendi de natura illa arcana et ineffabili, quod est omnium nominum maxime venerabile ipsi primum consecramus: in quo quidem cum Theologis convenimus, sed ab ipsa rerum veritate multum deficimus. Quamobrem ipsi quoque ascensum illum per negationes prætulerunt, ut qui animam a cognatis rebus avo-

Digitized by Google

cans, ad omnes divinas intelligentias viam sternat, quibus excipitur id quod omni nomine omnique ratione ac cognitione sublimius existit, nosque Deo tandem conjungit, quantum nimirum cum ex nostra, tum ex ipsius parte fieri potest.

§. 4. Hæc nos divina nomina, quæ ratione intelliguntur, congesta pro viribus explicuimus, non solum non satis pro eorum merito congrue (hoc enim etiam Angeli vere dixerint) sed neque paribus laudibus, quibus ab Angelis celebrantur: siquidem præstantissimi quoque Theologi nostri vel novissimis etiam Angelis cedunt; verum etiam Theologis eorumque asseclis nequaquam suppares, a nostris quoque æqualibus in hoc laudum genere superamur. Itaque, siquidem recte ista dicta sint, et in divinorum nominum explanatione pro modulo nostro verum sensum attigerimus, in bonorum omnium causam id totum referendum est, ut quæ primum tam dicendi quam bene dicendi facultatem dederit. Ac si quid eorum quæ his æquivalent sit prætermissum, id iisdem quoque rationibus a nobis ad hunc modum supplendum erit. Sin vero hæc vel minus recta vel imperfecta sunt, et a veritate vel omnino vel ex parte abberravimus, erit humanitatis tuæ corrigere non sponte ignorantem, rationesque suggerere discere cupienti, et ex se insufficienti opem ferre, curareque nolentem ægrotare: atque alia quidem a te excogitata, alia vero ab aliis mutuata, cæteroquin omnia ex ipso bono accepta, in nos quoque derivare. Neque te pigeat amicum hocce beneficio afficere: cernis enim, uti neque nos ipsi quidquam rationum Hierarchica-

Digitized by Google

rum nobis concreditarum intra nosmetipsos continuimus, verum illas omnino puras cum vobis tum cæteris viris sanctis, partim tradidimus, partim adhuc trademus, pro dicendi nostra et aliorum intelligendi facultate, in re nulla traditionem violantes, nisi forte vel ad eloquendum vel ad intelligendum imbecilliores extitimus. Sed hæc quidem, ut Deo placet, sic habeant, et dicta sint; sitque quod ad nos pertinet, hic finis nominibus Dei quæ mens excogitavit: ad symbolicam vero Theologiam, Deo duce, transibo.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE MYSTICA THEOLOGIA

CAPUT I.

Quænam sit divina caligo.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Invocata SS. Trinitate, docet, ad mysticam contemplationem, nostri rerumque omnium abdicatione assurgendum esse. 2. Ostendit quomodo in divinis procedendum sit per affirmationes et negationes. 3. Quæ sit compendiosa et prolixa Theologia. Quæ item caligo sit, et quomodo ad eam ingrediendum.

§. 1. *Invocatio SS. Trinitatis.*

Trinitas supernaturalis, et supraquam divina, et supraquam bona Theosophiæ Christianorum Præses, dirige nos ad mysticorum Oraculorum plus quam indemonstrabile, et plus quam lucens et summum fastigium, ubi simplicia, et absoluta, et immutabilia Theologiæ mysteria, aperiuntur in caligine plus quam lucente silentii arcana docentis, quæ in obscuritate tenebricosissima plusquam clarissime superlucet, et in omnimoda intangibilitate atque invisibilitate, præpulchris splendoribus mentes oculis captas superadimplet. Hæc quidem mea sint vota: tu vero, chare Timothee, in mysticis contemplationibus, intenta exercitatione, et sensus relinque, et intellectuales operationes, et sensibilia, et intelligibilia omnia, et

Ad mysticam contemplationem nostri ipsorum

Digitized by Google

et rerum omnium abdicatione assurgitur.

ea quæ sunt et quæ non sunt universa, ut ad unionem ejus, qui supra essentiam et scientiam est, quantum fas est, indemonstrabiliter assurgas; siquidem per liberam et absolutam, et puram tui ipsius a rebus omnibus avocationem, ad supernaturalem illum caliginis divinæ radium, detractis omnibus et a cunctis expeditus, eveheris.

§. 2. Mystica profanis minime communicanda.

Hæc autem vide, ne quis audiat rudiorum: istos dico, qui rebus (naturalibus) adhærescunt, et nihil ultra naturalia supernaturaliter esse imaginantur, quinimo arbitrantur sua cognitione nosse eum, qui posuit tenebras latibulum suum. Quod si supra captum horum sint divinorum mysteriorum institutiones; quid dixerit quis de illis qui magis rudes sunt, qui summam causam omnium, ex iis quæ in natura rerum extrema sunt designant, nihilque ajunt eam antecellere impiis multarum formarum imaginibus, quas ipsi fingunt, cum oporteret in ea, ut omnium causa, omnes entium affirmationes statuere ac de ea affirmare; quin illas ipsas omnes de ea magis proprie negare, tamquam supra omnia superexistente, nec existimare negationes affirmationibus esse contrarias, sed ipsam multo priorem et superiorem privationibus esse supra omnem et ablationem, et positionem.

Psal. 17. 13.

Quomodo in Deo omnia affirmanda et neganda.

§. 3. Quæ sit brevis et fusa Theologia.

Hac utique ratione divus Bartholomæus ait, et copiosam esse Theologiam, et minimam, atque Evangelium amplum et magnum, et rursus concisum. Illud, ut mihi videtur, eximie intelligens, quod benigna omnium causa sit et multiloqua, et breviloqua simul atque nullius sermonis, utpote cujus

Digitized by Google

neque dictio neque intelligentia sit, quia cunctis creatis superessentialiter supereminet, et absque operimentis ac vere ostenditur solis iis, qui cuncta quæ impura, quæque pura sunt, pertranseunt, omnemque omnium sanctorum fastigiorum ascensum transcendunt, et omnia divina lumina, et sonos, et sermones cælestes relinquunt, et in caliginem absorbentur, ubi vere est, sicut ait Scriptura, qui est ultra omnia. Non enim temere divinus Moyses expiari primum ipse jubetur, ac deinde a non expiatis segregari, et post omnem expiationem audit multisonas tubas, cernitque multa lumina, puros ac multiplices radios jacientia: postmodum a multitudine separatur, et cum electis sacerdotibus ad summum fastigium divinorum ascensuum pertingit. Sed hactenus nondum versatur cum ipso Deo, nec eum videt (inaspectabilis enim est) sed locum ubi stetit. Hoc autem existimo significare, divinissima et summa eorum quæ cernuntur et intelliguntur, rationes quasdam esse quæ subjiciant menti illa, quæ sunt subjecta ei, qui universis antecellit; quibus præsentia ipsius, quæ omnem cogitationem mentis vincit declaratur, insistens tamquam in vestigiis summis intellectibilibus locorum ejus sanctissimorum: ac tunc ab iis ipsis quæ videntur, et ab iis quæ vident, absolutus et expeditus, in caliginem vere mysticam incognoscibilitatis ingreditur, in qua omnes scientificas apprehensiones excludit, et in omnimode intactili et invisibili hæret, totus existens ipsius qui est ultra omnia; neque ullius, neque suus, neque alterius, cum eo autem qui est penitus incognosci-

Qui divinam caliginem ingrediantur.

Exod. 19.

Exod. 33.

Digitized by Google

bilis, per vacationem omnis cognitionis, secundum meliorem partem copulatus, et eo ipso quod nihil cognoscit, supra mentem cognoscens.

CAPUT II.

Quomodo oporteat etiam uniri, ac laudes referre omnium auctori, qui est supra omnia.

SYNOPSIS CAPITIS.

Optat in divinam caliginem intromitti, et sine notione Deum cognoscere, quod fit potissimum per omnium ablationem, quæ non sunt Deus, imitando sculptores, qui per materiæ ablationem statuam dedolant: et simul ostendit, ut per ablationes contrario modo procedatur, quam per positiones seu affirmationes,

Nos in hac supraquam lucente caligine versari exoptamus, et per visionis cognitionisque negationem videre et cognoscere id quod supra visionem cognitionemque existit, hoc ipso quod non videmus neque cognoscimus: hoc enim est vere videre et cognoscere, et supra essentialem supernaturaliter laudare per omnium rerum ablationem, non secus ac qui statuam nativam dedolant, auferentes omnia quæ circumposita claram formæ latentis visionem impediebant, ablatione sola genuinam ejus occultam pulchritudinem manifestant. Oportet autem, ut existimo, ablationes contrario modo, quam positiones celebrare: siquidem illas à primis incipientes, et per media et extrema descendentes ponebamus; hic vero ab extremis ad prima ascendentes, omnia remove-

Quomodo ablationes et positiones celebrandæ sint in Deo.

Digitized by Google

mus, ut revelate cognoscamus illam incognoscibilitatem, quæ ab omnibus, quorum cognitio est, in rebus omnibus obtegitur; et supernaturalem illam caliginem intueamur, quæ ab omni, quod in rebus est, lumine occulitur.

CAPUT III.

Quæ sint affirmantes de Deo locutiones, quæ negantes.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ait se in Theologicis informationibus explicuisse illa quæ spectant ad Deum trinum et unum; in Divinis vero nominibus egisse de attributis quibus in Scriptura Deus nominatur; in Symbolica denique Theologia figuras illas sensiles, quæ metaphorice de Deo enuntiantur, explanasse: et simul rationem reddit, cur in aliis libris prolixior fuerit quam in Mystica Theologia. Tradit in fine modum formandi de Deo positiones et negationes.

Quid in Theologicis institutionibus tractarit Dionysius.

In Theologicis quidem informationibus ea quæ affirmantis Theologiæ maxime propria sunt, celebravimus; quomodo divina bonaque natura unica dicatur, quomodo trina; quænam secundum illam Paternitas dicatur, et quænam Filiatio, quidve velit sibi illa divina Spiritus denominatio: quomodo ex immateriali et individuo bono, cordialia ista bonitatis lumina pullularint, et in ipso, et in seipsis, et in se mutuo coæterna propagationi mansione nusquam digrediendo permanserint: quomodo Jesus supersubstantialis, humanæ naturæ veritatibus substan-

Digitized by Google

tiatus sit, et quæcumque alia a Scripturis exposita in Theologicis informationibus celebravimus. In libro autem de Divinis Nominibus, quomodo bonus nominetur, quomodo ens, quomodo vita et sapientia et virtus, et quæcumque alia spiritalem Dei concernunt appellationem: in symbolica vero Theologia, quænam nomina divina e rebus sensibilibus translata sint, quæque divinæ formæ, quæ figuræ, quæ membra, quæ instrumenta, quæ divina loca, qui ornatus, qui furores, quæ tristitiæ et iræ, quænam ebrietates et crapulæ, quæ juramenta, quæ maledictiones, qui somni, quæ evigilationes, et quotquot aliæ sunt symbolicæ effigiationis Dei sacræ formationes ac figurationes. Arbitror etiam te deprehendisse, quomodo extrema sint prolixiora prioribus: decebat enim informationes Teologicas, et divinorum nominum explanationem minus verbosa esse symbolica Theologia. Quanto enim ad altiora contendimus, tanto magis sermones nostri rerum intellectilium aspectibus contrahuntur: sicut etiam modo, dum caliginem illam, quæ intellectum superat, ingrediemur, non in breviloquentiam dumtaxat, verum etiam in silentium perfectum, et intelligentiæ defectionem incidemus. Atque in illis quidem a supremo ad infima derivans oratio, pro mensura descensus ad proportionatam latitudinem extendebatur: nunc vero ab inferioribus ad id quod supremum eminet, ascendens juxta modum ascensionis contrahitur, et post omnem ascensum penitus obmutescet, atque ineffabili (Deo) tota conjungetur. Sed quorsum (inquies) a primo positiones divinas statuentes, divinam illam

Quid in libro de Divinis nominibus.

Quid in Symbolica Theologia.

Cur in aliis libris sit prolixior quam in Mystica Theologia.

Digitized by Google

ablationem ab extremis auspicamur? Quia nimirum, cum id, quod supra omnem positionem est, statuebamus ab eo quod ipsi magis cognatum est, fundamentum affirmandi ponendum erat; verum cum id tollimus quod supra omnem est ablationem, ab iis quoque quæ maxime distant removeri debebat; nonne Deus magis est vita et bonitas, quam aer aut lapis? magisque non crapulatur et non irascitur, quam non dicatur aut intelligatur?

CAPUT IV.

Quod nihil rerum sensibilium sit is, qui omnis rei sensilis secundum excellentiam est auctor.

SYNOPSIS CAPITIS.

Exempla ponit negantis Theologiæ, et ostendit, quomodo nihil sensile Deo competat.

Dicimus ergo, causam omnium, et quæ supra omnia est, nec essentiæ, nec vitæ, nec rationis, nec mentis expertem esse, neque corpus existere, neque figuram, neque qualitatem aut quantitatem aut molem habere, neque in loco esse, neque videri, neque tactum sensilem habere, neque sentire, nec sub sensum cadere, nec inordinationem admittere aut perturbationem a passionibus materialibus excitatam, nec imbecillem esse et sensilibus casibus obnoxium; neque lucis indigum existere, neque mutationem aut corruptionem, neque fluxum, neque quidquam sunt, vel esse, vel habere. *Deum nihil esse sensibile.*

Digitized by Google

CAPUT V.

Quod nihil rerum intellectilium sit is, qui omnis rei intellectilis secundum excellentiam est auctor.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet, Deum nihil esse eorum quæ nos cognoscimus; sed esse supra omnia ista quæcumque quomodocumque a nobis concipi vel intelligentia percipi possunt.

Rursus autem ascendentes dicimus, quod nec anima sit neque mens, nec imaginationem, vel opinionem, vel rationem, vel intelligentiam habeat; neque sermo est, neque intelligentia; neque dicitur vel intelligitur; neque numerus est, neque ordo, neque magnitudo, neque parvitas, neque æqualitas, neque similitudo, neque dissimilitudo: neque stat, neque movetur, neque quiescit, neque habet potentiam; nec est potentia, neque lumen, neque vivit, neque vita est, neque substantia est, neque sæculum, neque tempus, nec est ejus tactio intellectilis, neque scientia, neque veritas est, neque regnum, neque sapientia, nec unum, nec unitas, neque divinitas, neque bonitas, neque spiritus est, ut nos spiritum cognoscimus; nec est filiatio, neque paternitas, nec aliud quidquam eorum, quæ nobis, aut ulli eorum qui sunt, cognita sunt; neque aliquid eorum quæ non sunt, neque quæ sunt: neque quæ sunt eam cognoscunt quatenus est, nec ipsa cognoscit quæ sunt quatenus sunt: nec est illi ratio, neque no-

Digitized by Google

men, neque cognitio; neque tenebra est, neque lumen, nec error, neque veritas: nec est ejus in universum positio, nec ablatio: imo cum eorum, quæ post ipsam sunt, positiones et ablationes facimus, ipsam neque ponimus, neque tollimus; quia supra omnem positionem est perfecta, et singularis omnium causa, et supra omnem ablationem exuperatio omnium simpliciter abstracta, et ultra omnia.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLÆ

EPISTOLA I.

Cajo Monacho.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet, illam Dei ignorationem, quam in libro de Mystica Theologia supra omnem cognitionem commendat, non privative, sed superlate intelligendam esse. Et simul ostendit, omnem notitiam, quam per cognitionem de Deo habemus, ex creaturis accipi.

Deus intelligentia non comprehendi.

Tenebræ abolentur lumine, et præsertim copioso lumine: ignorationem abolent cognitiones, præsertim amplæ cognitiones. Hæc superlate et non privanter accipiens, plus quam vere enuntia, quod sui possessores verum lumen, et rerum cognitionem, latet ignoratio illa quæ est secundum Deum: et tenebræ ejus supereminentes omni quoque lumini occultantur, omnem abscondunt cognitionem. Et si quis viso Deo, cognovit id quod vidit, nequaquam ipsum vidit, sed aliquid e rebus ejus quæ existunt et cognoscuntur; ipse autem supra mentem et substantiam constanter manens, per hanc ipsam cognitionis et essentiæ negationem et supra substantiam existit, et supra mentem cognoscitur. Et illa perfectissima in bonam partem ignoratio, notitia est ejus qui est supra omnia quæ in cognitionem cadunt.

Digitized by Google

EPISTOLA II.

Eidem Cajo Monacho.

SYNOPSIS CAPITIS.

Explicat quo sensu dicatur Deus esse supra-principium divinitatis et bonitatis, scilicet participatæ et creatæ.

Deus principium divinitatis et bonitatis.

Quomodo qui est supra omnia, etiam supra principium divinitatis et supra principium bonitatis existit? Si divinitatem et bonitatem intelligas, rem ipsam deifici et bonifici doni, et inimitabilem imitationem supraquam Dei et supraquam boni, secundum quam deificamur et boni efficimur. Etenim cum hoc etiam principium sit deificationis ac bonificationis eorum qui deificantur et boni efficiuntur, qui est omnis principii supraquam-principium, etiam sic dicta divinitate ac bonitate, tanquam principium divinitatis, et principium bonitatis superior existit: in quantum inimitabilis et incomprehensus, antecellit imitationibus et comprehensionibus, et eis qui imitantur et participes fiunt.

EPISTOLA III.

Eidem Cajo.

SYNOPSIS CAPITIS.

Quid significet vox ἐξαίφνης, seu repente, *et quam vim habeat de incarnatione pronuntiata.*

Quid significet ἐξαίφνης

Repente est, quod præter spem, et ex eo quod huc usque obscurum erat, profertur in lucem. In

Digitized by Google

Christi autem humanitate, arbitror hoc etiam sermonem divinum voluisse insinuare, ex abdito suprasubstantialem illum in conspectum nostrum humanitus substantiatum prodiisse. Attamen occultus etiam est post ipsam manifestationem; aut, ut divinius dicam, in ipsa manifestatione: etenim hoc Jesu mysterium occultum est, nec ullo sermone vel intellectu expressum; quin imo dum profertur, arcanum; et dum intelligitur, ignotum manet.

EPISTOLA IV.

Eidem Cajo Monacho.

SYNOPSIS CAPITIS.

Quod Christus et verus homo fuerit, et simul supernaturali ratione naturam humanam assumpserit Deus homo.

Quomodo, inquis, Jesus, cum sit omnibus superior, cæteris hominibus substantialiter aggregatus est? Non utique ut auctor hominum, hoc loco homo dicitur, sed in quantum est revera homo, secundum totam hominis substantiam. Nos autem Jesum non humanitus definimus, neque enim ille homo tantum est (quia nequaquam suprasubstantialis existeret, si solus homo foret) sed revera homo præcipuo quodam hominum amore captus supra homines, et secundum homines, ex hominum substantia, cum supra substantiam existeret, substantiam assumpsit. Verumtamen suprasubstantialitate supra modum plenus est, ut qui semper supra substantiam sit,

Christus verus homo.

Christus Deus homo.

Digitized by Google

abundantia quadam suprasubstantialitatis; etiam ad substantiam vere veniens supra substantiam substantiatus est, et supra hominum conditionem gessit ea quæ sunt hominis. Quod declarat et Virgo quæ supra naturam parit, et aqua profluens, quæ pedum ex materia terraque concretorum gravitatem sustinet, neque cedit, sed virtute supernaturali, sine diffusione subsistit. Quid vero cætera, quæ valde multa, quis memoret? in quæ si divinus quispiam intueatur, supra mentem etiam cognoscet ea quæ de humanitate Jesu affirmantur, excellentis quoque negationis virtutem continere. Nam, ut summatim dicamus, ne homo quidem erat, non quod non esset homo, sed quod ex hominibus natus, homines longe superaret, et supra hominem vere homo factus sit. Cæterum divina non qua Deus patrabat, neque humana quatenus homo gerebat; sed quatenus erat Deus et homo, novam quandam nobiscum conversando deivirilem operationem exhibebat.

Christus plus quam homo.

EPISTOLA V.ª

Dorotheo ministro.

SYNOPSIS CAPITIS.

Explicat quid sit caligo divina, de qua egit libro de Mystica Theologia.

1. Tim. 6. 16. Divina caligo lux est inaccessa, quam inhabitare Deus perhibetur. Et cum quidem sit inaspectabilis, propter exuberantem supernaturalis luminis effusio-

Digitized by Google

nem, ad hanc pertingit, quisquis Deum nosse ac videre meruit, eoque ipso quo neque videt neque cognoscit, in illo vere, qui visionem et cognitionem superat, exsistit hoc ipsum sciens, eum in omnibus, tam sensilibus quam intellectilibus, existere, et cum Propheta pronuntians: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam.* Quemadmodum etiam Divus Paulus Deum cognovisse dicitur, quando illum supra omnem scientiam et intelligentiam existere cognovit: quocirca etiam vias ejus ininvestigabiles esse asserit, et inscrutabilia judicia illius, et inenarrabilia dona ejus, et pacem ipsius omnem sensum exsuperare; quippe ut qui invenerat eum qui est supra omnia, et supra mentem agnoverat, eum qui rerum omnium auctor est, rebus quoque omnibus superiorem esse.

Divina caligo quid sit.

Psal. 138 6.

Rom. 11. 33.

Phil. 4. 7.

EPISTOLA VI.

Sosipatro Sacerdoti.

SYNOPSIS CAPITIS.

Suadet Sosipatro, ut non tam in falsis opinionibus arguendis, quam in veritate stabilienda se occupet.

Noli hoc putare victoriam, venerande Sosipater, quod in eam religionem vel opinionem inveheris, quæ non bona videatur: neque enim, ut illam recte coarguas, continuo Sosipatri res bene habent; potest enim tam te quam alios, inter multa falsa et apparentia, unum illud et occultum et verum latere.

Digitized by Google

Neque enim ut quid rutilum non sit, jam continuo album est: neque, si quis non equus, necessario est homo. Sic itaque, si me audies, facito: desistes quidem adversus alios dicere, sed omnino ita pro veritate dices, ut et ea quæ dicuntur refelli non valeant.

EPISTOLA VII.

Polycarpo Antistiti.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Docet, adversus infideles non esse contentiosius agendum, sed veritatem stabiliendam, qua stabilita, falsitas per se corruet. 2. Convitia infidelium parum esse curanda, et in ipsos retorquenda. Et simul argumenta suggerit Polycarpo quibus contra Apollophanem uti debeat, præsertim a prodigiosa eclipsi, quam Apollophanes una cum Dionysio spectavit tempore crucifixionis Christi. 3. Ex ipsiusmet confessione ostendit ipsum ista eclipsi convictum.

§. 1. *Stabilita veritate falsitas per se corruit.*

Equidem haud scio me adversus Gentiles aut alios invectum, ratus viris probis esse satis, si ipsam in se veritatem et agnoscere et proferre possint, prout revera se habet. Ubi enim quidquid est lege veritatis demonstratum fuerit, clareque constiterit, quidquid aliter se habet, ac veritatem simulat, arguetur etiam aliud esse ab eo quod vere est, et potius esse dissimile et apparens, quam revera existens. Supervacaneum igitur est, ut is qui demonstrat veritatem, adversus hos aut illos dimicet: quilibet enim affirmat se habere Regium numisma, et fortassis habet particulæ cujusdam veræ fallacem aliquam imagi-

Digitized by Google

nem; quam si confutaveris, alius iterum atque alius de eadem dimicabit. At si vera ratio rite fuerit stabilita, cæterisque omnibus irrefragabilis persistat, quidquid cum ea non eodem modo per omnia se habet, id ipsum per se, insuperabili ejus quod omnino verum est stabilitate, dejicitur. Hoc itaque cum, mea quidem sententia, probe nossem, minime dedi operam, ut adversus Gentiles aliosve dicerem: sed mihi satis est, si mihi donet Deus, ut de veritate primum quidem recte sentiam, ac deinde scite eloquar ut oportet.

§. 2. *Convitia infidelium parum curanda, et in ipsos retorquenda.*

Tu autem ais, Sophistam Apollophanem me convitiari, ac parricidam appellare, ut qui Gentilium dictis, adversus ipsos non sincere utar. Atqui nos illi verius objicere possemus, Gentiles illos, adversus divina divinis sacrilege abuti, dum per Dei sapientiam, divinæ religionis cultum abolere moliuntur. Neque vero hic de multitudinis opinione loquor, quæ Poetarum fictionibus materialiter tenaciterque adhærens, creaturæ potius quam creatori famulatur; verum etiam ipsemet Apollophanes divinis adversus divina nefarie utitur: nam per hanc ipsam rerum scientiam, quæ ab ipso recte Philosophia dicitur, et a divo Paulo sapientia Dei nominatur, ad rerum ipsarum scientiæque illius auctorem, veros Philosophos ascendere oportebat. Ac ne præter institutum meum, aliorum potius quam ipsius sententiam a veritate deflectere convincam, scire debebat Apollophanes, cum sapiens esset, nihil unquam cælestis ordinis ac motus immutari ullo modo potuisse, sine instinctu auctoris sui, a quo et ut esset accepit, et

Apollophanem ex prodigiis in cælo visis ad Deum adduci debuisse.

Digitized by Google

cujus potentia conservatur, qui, secundum Scripturæ testimonium, cuncta perficit ac mutat. Cur igitur non colit eum, quem hinc quoque cognovimus veraciter esse omnium Deum, admirando ejus, a quo cuncta subsistunt, admirabilem potestatem? Quandoquidem ab ipso Sol et Luna, potentia statuque mirabili, simul cum hac rerum universitate, ad omnimodam immobilitatem redacta sint, nec non ad integri diei spatium, in iisdem universa signis constiterint; vel, quod amplius est, etiam cunctis orbibus primariis, qui cæteros complexu suo continent, more suo gyrantibus, ea quæ illorum complexu continebantur, non una in orbem circumlata sint; quin et alius quidem dies continuatione fere triplo longior effectus, et totis viginti horis, universum æquali omnino temporis spatio, motu contrario supraquam admirandis retrogyrationibus retrogressum ac reversum sit: vel ipse sol in cursu suo, quinqueformem istum motum ad decem horas contractum, denuo gradu retrogradu, aliis item decem horis novam quandam semitam ineundo, reperierit: quod utique Babylonios jure merito consternavit, et eos Ezechiæ tamquam Deo suppari similive, atque hominibus præstantiori, sine pugna subegit. Omitto quæ in Ægypto magnifice gesta sunt, atque alia quædam signa, quæ alibi divinitus patrata sunt, hæc tantum memoro quæ sunt obvia cælestiaque, et per universum orbem ab omnibus celebrata. Sed omnino dicet Apollophanes, ista minime vera esse: attamen id vel maxime sacris Persarum monumentis celebratur, atque etiamnum Magi triplicis Mithri sive solis memoriam

Digitized by Google

recolunt. Verum illi liceat sive per ignorantiam, sive per inscitiam istis fidem derogare: sed dic illi: Quid sentis de illa solis defectione, quæ accidit in cruce salutari? Tunc enim ambo juxta Heliopolim præsentes simul et adstantes, mirabili ratione soli lunam coincidere cernebamus (neque tamen tempus conjunctionis erat) ipsamque rursus sub horam nonam vespertinam diametro soli opposito supernaturaliter restitui. Quin etiam in memoriam illi revoca quiddam aliud: scit enim, quomodo viderimus illum lunæ occursum ab Oriente cœpisse, et usque ad solis extremitatem pervenisse, ac tum demum resiliisse, et rursum, non ex eadem parte occursum illum et recessum extitisse, sed ex adverso diametri. Ista sunt, quæ tunc supra naturam omnino contigerunt, et a solo rerum omnium conditore Christo fieri possunt, qui facit magna ac stupenda quorum non est numerus.

Qualis eclipsis contigerit tempore crucifixionis.

Hæc, si fas est, ei dicito, tuque Apollophanes refelle si potes, idque adversum me, qui tunc præsens una tecum adfui, et simul aspexi, et observavi omnia cum admiratione. Denique tunc nescio quo spiritu afflatus, in divinationem quoque Apollophanes prorupit, et ad me conversus, Istæ, inquiebat, o præclare Dionysi, divinarum sunt vicissitudines rerum. Hæc a nobis tamquam per epistolam dicta sint satis. Potes porro ipse supplere quæ desunt, et ad Deum perfecte virum adducere, multis sane in rebus sapientem; neque fortasse dedignabitur mansuete ac humiliter discere plusquam sapientem Religionis nostræ veritatem.

§. 3. *Convincit Apollophanem propria ipsius confessione.*

Digitized by Google

EPISTOLA VIII.

Demophilo Monacho, de propria operatione ac clementia.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ostendit, præcipuos Dei amicos, Moysem, Davidem, Jobum, Abelem, Josephum, mansuetudinis laude claruisse; et in ipsomet Christo præ cæteris virtutibus vel maxime clementiam et mansuetudinem emicuisse. Unde a contrario Demophilo suam exprobrat immanitatem, quod pœnitentem a Sacerdote absolutum immaniter tractasset, et in Sacerdotem quoque temerarie debacchatus fuisset, eo quod pœnitentem absolvisset: et exemplis eorum qui ob similem temeritatem puniti fuerant, eum deterret. 2. Proponit Demophili objectionem, quam probabiliter posse facere videretur, eamque elidit. 3. Ostendit, nequaquam convenire ut inferiores, qualis erat Demophilus, superiores suos increpent. 4. Docet, ordinem et subordinationem ubique servandam esse, eique Christi boni ac mansuetissimi pastoris exemplum ob oculos ponit. 5. Dicit, Christi mansuetudinem potius imitandam esse, quam Heliæ zelum, et simul ostendit quæ sit mansuetorum et crudelium retributio. 6. Rem totam confirmat visione mirabili sancti Carpi, quam describit.

§. 1. *Moyses a mansuetudine commendatur.*

Hebræorum historiæ tradunt, generose Demophile, sanctum illum etiam Moysem, propter magnam suam mansuetudinem Dei conspectu dignum fuisse judicatum. Ac si quando ipsum divina visione frustratum scribunt, non prius eum a Deo, quam a mansuetudine excludunt. Ipsi scilicet insolescenti admodum, et divinis consiliis reluctanti iratum asserunt

Digitized by Google

furore Dominum. Ubi vero decretis illi a Deo dignitatibus illustrem prædicant, a præeminente benigni Dei imitatione commendatus: erat enim admodum mansuetus, atque ideo Dei famulus nuncupatur, cæterisque Prophetis dignior ad videndum Deum. Quin imo cum adversus eum et Aaronem de Pontificatu ac gentis principatu impudentes aliqui proterve dimicarent, omni sane honoris ac primatus ambitione celsior, ei qui a Deo eligeretur, populi præfecturam deferebat. Cæterum ubi in ipsum conjurassent, pristinaque exprobrando minas intentassent, jamque fere impetum fecissent, tum demum mansuetus ille bonum quidem Deum in salutem advocabat, magna vero constantia singularique modestia contestatus est, se insontem esse calamitatum omnium quæ subditis obvenissent: quippe noverat, ei qui bono Deo familiariter utitur, pro viribus conandum, ut eidem, quantum potest fieri, simillimus evadat, sibique bonorum operum conscius existat. Quid porro David illum Dei progenitorem, amicum Deo reddidit? Nempe quod esset bonus, et in hostes benignus. Inveni, inquit ille præbenignus benignitatis amator, hominem secundum cor meum. Quin imo benigna lege sancitum erat, ut jumentorum quoque inimici cura gereretur. Job etiam ut innocentiæ tenax, justificatus est. Atque Joseph insidiatores fratres non est ultus: Abelque simpliciter, nec quidquam suspicans comitatus est fratricidam. Omnes denique Theologia bonos prædicat, qui neque mala præsagiunt, neque simulant, sed ne aliorum quidem malitia bonum deserunt, sed e diverso deiformiter

Num. 10.

David quoque mansuetudine insignis. Psal. 88. 21. Exod. 23. 4.

Similiter Iob, et Abel, et Ioseph. Job. 1. 8. *et* 42. 7. Gen. 50. 20. Gen. 4. 8.

Digitized by Google

pravis benefacientes, magnamque benignitatis suæ copiam in eos effundentes, benigne illos ad simile quoque provocant. Cæterum ad altiora contendamus, sanctorum mansuetudines virorum atque amicorum hominibus Angelorum benignitates omittentes, quomodo scilicet illi gentibus misereantur, ac pro ipsis divinæ bonitati preces offerant, perniciosasque ac perditas turbas increpent; ac malis quidem nostris condoleant, saluti vero eorum qui ad bona conversi sunt congratulentur; et quæcumque alia de beneficis Angelis Theologia tradit: sed penitus benigni ac præbenigni Christi beneficos radios tranquillo animo suscipientes, ab iisdem ad divinas ejus beneficentias luculenter adducamur. An non ineffabilis incomprehensibilisque bonitatis, quod ea quæ sunt, esse faciat, eaque omnia ad esse produxerit, cunctaque velit sibi semper esse similia, et pro cujusque captu communicare? Quid quod a se deficientes amore prosequatur, contendatque ac roget, ne dedignentur amores: quin et deliciosos ipsos ac temere provocantes sustinet, atque ipsemet excusat, eoque magis se recipit illos curaturum, ipsisque jam adhuc distantibus, simul tamen adventantibus, occurrit et obviat, totusque totos amplectens osculatur, neque de pristinis eos arguit, sed diligit præsentia, festumque diem agit, ac convocat amicos, videlicet bonos, ut sit omnium lætantium habitatio. Porro Demophilus, et si quis alius bonis adversatur, juremerito corripitur, bonaque docetur ut emendetur. Quomodo enim, inquit, non oportebat eum qui bonus est, de eorum qui perierant salute, nec non eorum qui de-

Angelorum erga homines benignitas. Zach. 1. Apoc. 7. Dan. 10. Luc. 15. Tob. 8. et 9.

Christi quanta mansuetudo et clementia. Joan. 1. 2. Matt. 11. Luc. 15.

Digitized by Google

functi erant vita lætari? Siquidem etiam in humeros tollit vixdum ab errore conversum, et bonos Angelos ad lætitiam excitat, quin et ingratis benignus existit, *et oriri facit solem suum super bonos et malos,* atque ipsam suam animam pro profugis ponit. Tu vero, ut tuæ literæ declarant, accedentem Sacerdoti, illum quem impium ac peccatorem dicis, nescio quomodo per te præsens repuleris: tum ille quidem deprecabatur et fatebatur se ad malorum medicinam advenisse; tu autem nihil veritus, bonum insuper Sacerdotem cum quadam insolentia convitiatus es, quod miseratus esset pœnitentis, atque impium justificasset: ac tandem, Exi, inquiens Sacerdoti, cum tui similibus contra fas in adyta irrupisti, ac Sancta sanctorum contaminasti, et scribis nobis te sancta, cum violanda essent, summa cura providentiaque servasse, eaque hactenus illibata custodire. Nunc ergo audi nostram sententiam. Nefas est Sacerdotem a te dignioribus ministris, tuive ordinis monachis corripi, quantumvis in divina impius videatur, et etiamsi quid aliud vetitum egisse convincatur. Nam si distinctionis ordinisque confusio, divinissimarum constitutionum legumque transgressio est; nulla certe ratio est propter Deum traditum divinitus ordinem intervertendi. Neque enim in se Deus divisus est, alioquin quomodo stabit regnum ejus? Et si Dei est judicium, ut Eloquia testantur, Sacerdotes autem Angeli sunt, et post Antistites divinorum interpretes judiciorum, ab iis ordine, prout te decet, mediantibus ministris, dum erit opportunum, divina disce, per quos etiam, ut monachus esses,

Demophilo suam immanitatem ob oculos ponit.

Mat. 5. 45. Joan. 10. 11.

Sacerdotes non debent a ministris aut laicis judicari.

Matt. 12. 25. Isai. 30. 18. Rom. 2. 16. Malach. 2 7.

Digitized by Google

habuisti. An vero non id ipsum sacra signa proclamant? neque enim simpliciter Sancta sanctorum ab omnibus segregata sunt; verum ad hæc proxime accedit ordo Pontificum, deinde distinctio Sacerdotum, quos deinceps ministrorum gradus sequitur: ordinatis autem Monachis adytorum postes sunt assignatæ, juxta quas etiam initiantur et adstant, non ad custodiam earumdem, sed ut agnoscant tam se quam ordinem suum magis populo præ Sacerdotibus propinquare. Unde sacrorum sacer ordinis principatus, rerum eos divinarum participes reddi sancte statuit, aliis videlicet, qui iis interiores sunt, earumdem administrationem cedens: illi siquidem qui Symbolice semper divinum altare circumstant, intuentur et audiunt divina clare sibi revelata, procedentesque benevole ad ea quæ sunt extra divina velamenta, morigeris Religiosis, sacroque populo, et iis qui purgantur, ordinibus, sacra mysteria pro meritis pandunt; quæ profecto rite immaculata tandiu servata sunt, donec ipse tyrannice in ea irrupisti, et Sancta sanctorum vel invita tibi publicari coegisti, et habere te jactas et custodire sacra, cum ea neque videris, neque audieris, neque quidquam habeas eorum quæ Sacerdotem decent, siquidem ne veritatem quidem Scripturarum nosti, cum eas quotidie verbis impugnes ad subversionem audientium. Etenim si quis gentilem principatum a Rege sibi nequaquam demandatum usurparet, jure merito puniretur. Quid si, Principe quempiam vel absolvente vel damnante, quispiam ex adstantibus subditis præsumeret latam a Domino sententiam retractare, ne-

Ordo Monachorum.

Exagerat Demophili inclementiam erga pœnitentem.

Digitized by Google

dum dicam proculcare ac de principatu deturbare visus esset? Tu autem, o homo, ita temerarius es in iis quæ clementis benignique (Dei) sunt, et Pontificium ipsius institutum attingunt. Atque hæc quidem dicenda essent, si quis, cum maiora meritis suis attentaret, æqua tamen sibi adferre videretur; nam neque hoc cuiquam fas est. Quid enim absurdi Ozias gessit, cum incensum Deo obtulit? Quid Saul, dum sacrificavit? Quid truculenti dæmones, cum Jesum Dei Filium verissime prædicarunt? Verum in Theologia eiiciendus omnis qui aliena spectat, sed quilibet ordinis sui ministeriis vacabit, solusque Pontifex in anno semel ad Sancta sanctorum introibit, idque cum omni quam lex præscribit Pontificali puritate. Sacerdotes vero Sancta circumtegunt, verum Levitæ ne sancta quidem attingunt, ne moriantur. Et iratus fuit furore Dominus ob Oziæ temeritatem, Mariaque leprosa fit, legislatori legem ponere conata: et in filios Scevæ insilierunt dæmonia, et, Non mittebam eos, dicit, et ipsi currebant; et non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant; et impius qui mihi immolat vitulum, sicut qui occidit canem. Atque ut simpliciter dicam, non tolerat legum violatores perfecta Dei justitia, dicentibusque illis, In nomine tuo virtutes multas fecimus, respondet, Nescio vos, recedite a me omnes operarii iniquitatis. Nefas itaque, uti sacra testantur Eloquia, ea etiam quæ justa sunt, non secundum dignitatem exequi. Oportet autem unumquemque sibi ipsi attendere, ne se altiora profundioraque sapiat, solumque intendat iis quæ ipsius meritis fuerint coordinata.

Ostendit quam temerarie se Demophilus aliorum officio ingesserit.

2. Paral. 26. 9.
1. Reg. 15. 10. et 15. 12.
Marci 3. 11.
1. Cor. 14. 13.
Levit. 16. 2.
Hcb. 9. 7.
Num. 4. 2.
2. Paral. 26. 19.
Num. 12. 10.
Act. 19. 14.

Exemplis eum deterret.

Jerem. 23. 21.
Isa. 66. 3.
Matt. 7. 23.
1. Reg. 15. 22.
Rom. 11. 20. et 12. 3.

Digitized by Google

§. 2. Rom. 2. 23. *Proponit Demophili objectionem, eamque elidit.*

Quid igitur, inquis, non oportet Sacerdotes, qui vel impie vel perperam aliquid facere deprehensi fuerint, corrigi, solisque licebit gloriantibus in lege per prævaricationem legis Deum inhonorare? et quomodo Sacerdotes Dei sunt interpretes? quo enim pacto divinas populo virtutes enuntiant, cum earundem vim ignorent? vel quomodo illuminabunt qui sunt Act. 19. 2. obtenebrati? quave ratione divinum Spiritum impertientur, qui neque affectu neque veritate Spiritum sanctum crediderunt? Ad hæc tibi ipse respondebo: neque enim inimicus Demophilus est, neque patiar te a satana circumveniri. Etenim quilibet circa Deum versantium ordo, deiformior est eo qui magis distat; nec non lucidiora simul sunt ac luculentiora, quæ veræ luci magis appropinquant. Nolim autem ex loco sumas propinquitatem, sed ex capacitate recipiendi Deum. Quod si itaque Sacerdotum ordo illustrandi vim habet, profecto penitus abhorret a Sacerdotum ordine ac facultate, quisquis illustrandi vi caret; multoque magis is qui necdum illustratus est. Ac mihi quidem nimis temerarius videtur hujusmodi, si sacerdotalia sibi vindicet, neque metu neque pudore a divinis supra dignitatem suam consectandis arceatur, putetque ea latere Deum, quorum sibi ipse conscius sit; et se Deum fallere existimet, quem falso nomine appellat Patrem, audetque scelestas blasphemias suas (neque enim preces dixerim) in divi- Matth. 7. nis mysteriis Christiformiter pronuntiare. Non est iste Sacerdos, non est, sed inimicus, dolosus, illusor sui, et lupus in Dominicum gregem ovina pelle armatus.

Quis digne Sacerdos.

Digitized by Google

§. 3. *Ostendit quomodo non conveniat ut inferiores increpent superiores.*

At Demophilo fas non est ista corrigere. Nam si divinus sermo justa juste prosequi jubet (juste vero prosequi, est unicuique quod suum est pro meritis reddere) juste illud omnibus prosequendum, non præter suam dignitatem aut ordinem: nam et Angelis justum est officia secundum merita tribui, ac definiri, non tamen a nobis, o Demophile, sed per eos nobis ex Deo, et ipsis ab Angelis superioribus. Ac simpliciter loquendo, in omnibus rebus per primos secundis, a recta æquissimaque omnium providentia, cuique justa pro meritis tribuuntur, ut nimirum ii qui a Deo ordinati sunt Præsides aliorum, inferioribus quoque subditisque suis pro meritis distribuant. Demophilus itaque sermoni ac furori concupiscentiæque suæ, sicut decet, modum statuat, neque ordinem violet, sed ratio superior inferioribus dominetur. Nam si, cum in foro videmus famulum domino, seniori adolescentulum, sive etiam filium patri maledicere, simulque impetu facto plagas inferre, pietatem violare videmur, nisi accurrentes, præstantioribus opem ferre studeamus, quantumlibet illi fortasse prius intulerint injuriam; cur non erubescimus, qui rationem ab ira et concupiscentia violari, et a tradito sibi divinitus principatu dejici videmus atque negligimus, atque intra nosmetipsos, impiam injustamque temeritatem ac seditionem contusionemque excitamus? Merito sane divinus noster legifer, Ecclesiæ Dei præfici prohibet eum qui antea domui suæ non bene præfuit: qui enim seipsum regere novit, et alterum reget; qui alterum, etiam domum; qui domum, etiam civita-

Similitudo exempli.

1. Tim. 2. 5. Tit. 1.

Digitized by Google

Luc. 16. 10. tem; et qui civitatem, etiam gentem: atque ut summatim dicam juxta vocem Veritatis, qui in modico fidelis est, etiam in multo fidelis erit; et qui in modico infidelis, et in multo quoque infidelis erit.

§. 4. *Subordinatio ubique servanda est.*

Ipse ergo cupiditati ac furori, rationique, uti par est, sua cuique munia præscribe, tibi interim Diaconi, et his Sacerdotes, Præsules vero Sacerdotibus, atque Præsulibus Apostoli, successoresque Apostolorum. At siquis forte etiam inter illos a decoro aberrarit, is a sanctis sui ordinis corrigatur, sic neque ordo ordini permiscebitur, verum in ordine quisque suo et officio versabitur. Atque hæc quidem tibi a nobis dicta sint, ut et scias et facias quæ tui sunt muneris. Porro de illa in virum (ut ais) impium ac perditum immanitate, nescio quo fletu plangam contritionem dilectissimi mei, cujus scilicet cultorem te arbitraris a nobis constitutum esse, nisi certe illius summi boni cultor es, profecto et a nobis, omnino et ab omni nostræ religionis cultu alienus sis necesse est, tibique jam Deus alius quærendus est, atque alii Sacerdotes, ut apud illos effereris potius quam initieris, evadasque amicæ tibi crudelitatis minister implacabilis. Scilicet nos ipsi plane sancti et perfecti sumus, et divinæ clementiæ minime egemus. Numquid duplici peccato (ut Oracula loquuntur) impiorum more delinquimus, dum nescientes in quo offendimus, nosmetipsos insuper justificamus, putamusque nos videre, cum minime videamus? Obstupuit cælum super hoc, et exhorrui ego, mihique ipse vix credo. Illudque tibi certum sit, nisi tuas ipse literas legissem (quas utinam vidissem numquam)

Duplex peccatum Demophili.

Digitized by Google

nemo sane ullis argumentis de te id mihi persuasisset, ut crederem Demophilum non arbitrari Deum * super omnia bonum ac benignum esse, sibique putare Dei miserentis aut salvantis gratia non opus esse; quinimo Sacerdotes degradare, qui meruerunt pro sua benignitate plebis ignorantias tolerare, probe cognoscentes, quoniam et ipsi circumdati sunt infirmitate. At divino-principalis ille Pontifex longe aliam viam ingressus est, idque cum, ut sacra testantur Eloquia, segregatus esset a peccatoribus, et hoc eximiæ erga se dilectionis argumentum statuit, si oves ejus mansuetissima gubernatione pascamus. Atque nequam eum appellat, qui conservo suo debitum minime dimiserat, neque in partem saltem indultæ sibi largissimæ benignitatis venire permiserat; justeque eum propriis contentum esse jubet, quod et mihi etiam Demophilo metuere necesse est. Quippe suis etiam occisoribus Christus passionis tempore veniam a Patre precabatur, discipulos vero increpabat, quod persequentes se Samaritanos impietatis crudeliter condemnari petivissent. Hoc utique millies in impudenti ista Epistola tua inculcatur, dum susque deque repetis, te non te ipsum, sed Deum ultum esse. Verum dic, amabo, per malitiam eum qui summe bonus est vindicas?

* in omnes.

Heb. 7. 26. *Proponit exemplum Christi mansuetissimi Pastoris.* Joan. 10. 14. Luc. 15. 6. Matt. 18. 30. Luc. 23. 34. Luc. 9. 54. *Mala ultio Demophili.*

Absit, non habemus Pontificem qui compati non possit infirmitatibus nostris, sed et innocens et misericors est. Non contendet, neque clamabit; atqui ipse mitis est, imo ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Nequaquam itaque probabimus minime zelandos conatus tuos, etiamsi millies Phineen et He-

§. 5. Heb. 4. 15. Matt. 12. 19. Isa. 42. 1. 1. Joan. 2. 2. *Christi*

Digitized by Google

mansuetudo potius imitanda, quam zelus Heliæ. 2. Tim. 2. 24.

liam jactites: hæc enim Jesu, a discipulis mansueti adhuc benignique spiritus expertibus, audienti minime placuerunt. Quin et noster quoque divinissimus Præceptor in mansuetudine docet eos qui Dei doctrinæ adversantur: doceri quippe ignaros decet, non suppliciis affici; quemadmodum et cæcos minime cruciamus, sed manu ducimus. Contra vero tu viro respirare in lucem inchoanti colaphum impingendo obstitisti, accedentemque summa cum verecundia, temerarie repulisti, illum, quem (quod horrore dignum est) Christus in montibus errabundum fugientemque revocat, vixque repertum in humeros tollit. Ne, quæso, tam male nobis ipsis consulamus, neque gladium in nosmetipsos impellamus: siquidem qui alios injuriis violare vel contra fovere beneficiis nituntur, si forte quæ voluerint, facere nequiverint, sibi tamen aut malitiam, secundum propositum suum, aut bonitatem consciscunt, adeoque vel virtutibus divinis, vel ferocibus passionibus implebuntur. Atque illi quidem sanctorum Angelorum sectatores ac comites et hic et ibi cum omni pace, atque a malis omnibus libertate, in sempiterno sæculo beatissimam illam requiem hereditabunt, quodque maximum est bonorum omnium, cum Deo semper erunt: hi vero, qui a divina simul ac sua pace decidunt, cum hic, tum post mortem cum atrocibus istis dæmonibus futuri sunt. Quamobrem nobis summo studio curandum est, ut bono Deo adhæreamus, semperque cum Domino versemur, et non cum malis justissimo Dei judicio segregemur, atque ex nobis ipsis pœnas debitas subeamus, quod ego maxime omnium timeo,

Luc. 15. 6.

Digitized by Google

malorumque omnium exors esse percupio. Quod si placet, divinam quoque Sancti cujusdam viri visionem memorabo: neque vero rideas, vera enim dicam.

§. 6. *Zelus et visio mirabilis sancti Carpi.*

Cum aliquando in Cretam venissem, sanctus Carpus me hospitio excepit, vir, si quis alius, ob insignem mentis puritatem, ad Dei contemplationem aptissimus. Neque enim sacros mysteriorum ritus auspicabatur, nisi prius ipsi inter præparatorias orationes sacra quædam et propitia visio apparuisset. Ipsum ergo (uti referebat) infidelis quispiam contristaverat aliquando, tristitiæque causa erat, quod ille ab Ecclesia quemdam ad infidelitatis errorem seduxisset, cum adhuc celebritatis quæ ab hilaritate nomen accepit, dies agerentur. Ac pro utrisque benevole Deus fuisset exorandus ut auxilio salutari alterum quidem ab errore converteret, alterum vero bonitate superaret; neque desistendum fuisset ab eorum per totam vitam admonitione, donec tandem hodie vel sic ad divinam cognitionem promoverentur, tumque demum illis quæ ambigua videbantur et obscura, patescerent, et ab iis quæ præter rationem temerarie commiserant, resipiscere legitima veritate cogerentur: nescio quo pacto, cum id illi antea nunquam evenisset, tunc vehementi quadam indignatione et amaritudine concepta obdormierat (vesper enim erat) circa mediam vero noctem, quo tempore ad divinos hymnos evigilare consueverat, experrectus quidem surgit, cum somnos parum quietos crebroque interruptos, nec absque perturbatione cepisset; stans tamen ad divina colloquia, non satis religiose tristabatur, graviterque ferebat, iniquum

Hilaria festa lætitiæ

Digitized by Google

esse dicens impios adhuc homines, rectasque Domini vias pervertentes vivere. Et hæc dicens, precabatur Deum, ut semel amborum vitam fulgetro quopiam immisericorditer abrumperet. His dictis, repentè se vidisse referebat domum, in qua consistebat, primum conquassatam a summo vertice, bifariamque divisam, et quemdam ante se ingentis luminis rogum, eumque (sub dio enim jam locus ille videbatur) e cœlo ad se usque delatum; cœlum autem ipsum apertum, et in cœli cardine Jesum innumeris illi humana specie Angelis adstantibus. Atque ista quidem sursum conspexisse, miratumque fuisse. Porro deorsum respectando Carpus se vidisse asserebat, ipsum quoque pavimentum instar vastæ cujusdam tenebricosissimæque voraginis discissum, illosque viros quos diris devoverat, ante se ad os voraginis trementes stare, ac miserabiles, tamquam jam jamque præ pedum lubricitate collapsuros: inferne autem e vorágine serpentes emergere cernebat, circa tam labiles illorum pedes, modo quidem in gyrum actos, et implicitos simul pertrahentes, modo quoque dentibus et caudis incendentes ac demulcentes, omnibusque modis eos in voraginem præcipites dare molientes: fuisse autem et viros quosdam in medio, qui adversus eos una cum serpentibus impetum facerent, exagitando una, et impellendo atque feriendo; visos autem esse viros illos lapsui appropinquare, partim quidem invitos, partim vero sponte, a malo ita sensim coactos et simul persuasos. Referebat autem Carpus, se, dum inferiora respiceret, fuisse delectatum, superiora negligendo; cum vero graviter et indigne ferret illos

Digitized by Google

necdum cecidisse, atque ad hanc rem sæpe frustra incubuisset, indignatum iis et imprecatum esse. Et cum vix tandem revocatis ad superna luminibus, vidisset quidem denuo sicut prius cœlum, Jesum vero, miseratum quod fiebat, desuper cœlesti throno descendisse, atque ad ipsos accedentem benignam iis manum porrexisse, Angelosque una opem conferentes, alterum virorum ex altera parte retinuisse, Jesumque ipsi Carpo dixisse: Manu jam extensa percute me, siquidem adhuc paratus sum denuo pro hominibus salvandis pati, illudque libentissime, ne demum alii homines peccent. Cæterum considera, num tibi expediat hanc istiusmodi hiatus et cum serpentibus mansionem Dei ac bonorum clementissimorumque Angelorum consortio præferre. Hæc sunt, quæ ego eum audiverim, vera esse credo.

EPISTOLA IX.

Tito Episcopo roganti per Epistolam quæ sit domus sapientiæ, quis crater, et quisnam cibus ejus ac potus.

SYNOPSIS CAPITIS.

1. Ostendit, Symbolicam Theologiam rudioribus et ignaris multas absurdas imagines atque cogitationes ingenerare; et hac occasione exempli causa diversa Symbola exponit, quæ in Scripturis reperiuntur. Deinde Theologiam dividit in mysticam ac demonstrantem, et quæ cujusque partes sint exponit. 2. Docet, Symbola diversa diversimode esse explicanda; et simul declarat, quomodo ignis de Deo et Angelis accipiendus sit. Item quid ova designet. 3. Exponit, quid

Digitized by Google

crater mystice significet. 4. Quid cibus solidus et liquidus designet. 5. Quid item Dei ebrietas; quidque discubitus Beatorum in cœlis. 6. Quid Dei somnus et evigilatio.

§. 1. Sanctus quidem Timotheus, optime Tite, nescio si quidpiam Symbolorum Theologicorum a me traditorum non audierit; quoniam in Symbolica Theologia distincte ipsi exposuimus, quæcumque in Oraculi prodigiosa plurimis visa de Deo enuntiantur. Gravis etenim absurdi speciem animis rudioribus imprimunt Patres illi qui arcanam tradunt sapientiam, dum divinam illam mysticam et profanis inaccessam veritatem sub arcanis quibusdam audacioribus ænigmatibus proponunt. Quapropter etiam in divinis mysteriis quandoque verbis ipsis vix credimus, dum illa dumtaxat per agnata Symbola sensilia conspicimus. Verum his amoris, ipsa in seipsis nuda puraque intuenda sunt: sic enim contemplantes venerabimur fontem vitæ, in seipsum effusum, et in seipso consistentem videntes, et unam quamdam potestatem simplicem, per se mobilem, per se agentem, seipsam non deserentem, sed notionem notionum omnium, ac semper se per seipsam contemplantem. Censuimus igitur tum ipsi, tum aliis, quoad fieri poterat, exponendas esse omnis generis formas, Symbolicæ illius quæ de Deo est sacræ effigiationis: hujus enim exteriora, quam plena sunt incredibilis et commentitii monstri? v. g. dum in suprasubstantiali Dei generatione, uterum Dei corporee generantem effingit, et cor hominis eructans verbum in aerem effusum, et spiritum ex ore spirantem describit, ac sinus Deigenos

Symbolicam Theologiam rudioribus absurdas imagines ingerere.

Quid diversa Symbola significent.

Psal. 109. 4.

Digitized by Google

Filium Dei complectentes, in modum corporis collaudat, aut in modum stirpis hæc ipsa depingit, et arbores quasdam, et surculos, et flores atque radices proponit; aut fontes aquis manantes, aut lucigenas splendorum fecunditates, aut quasdam alias supernaturales sacras rerum divinarum explanatorias descriptiones. In spiritalibus autem Dei providentiis, vel donis, vel manifestationibus, vel virtutibus, aut proprietatibus, aut statibus, aut mansionibus, aut emanationibus, aut secretionibus, aut unionibus formam viri Deo et ferarum, aliorumque animantium et stirpium atque lapidum multiformitatem affingit: quin etiam ornatus muliebres, et barbaras armaturas illi circumponit: et fictitiam conflatoriamque artem, tamquam opifici cuipiam mechanico attribuit; et equos ipsi, et currus, et sedes supponit, et convivia quædam epulis instructa apparat, atque bibentem et ebrium, et dormiturientem ac crapulantem exhibet. Quid attinet dicere iras, dolores, varia juramenta, pœnitentias et maledictiones, iras inveteratas et multiplices, et obliquas rationes frustrandi promissiones; item illam in Genesi cum gigantibus pugnam, in qua dicitur Deus robusti illis viris propter metum insidiatus, cum alioquin, non ut alios læderent, sed ut se incolumes servarent, illud ædificium moliti essent: et concilium illud in cœlo ad decipiendum Achab fabricatum; et illas Canticorum veluti corporeas et meretricias illecebras: et quæcumque alia sacra signa in Deo audaci fictione format, potentia occultis; multiplicata et partita simplicibus atque individuis figurativa et multiformia, figuræ formæque

Psal. 44. 1.
Psal. 32. 6.
3. Reg. 22.
Cant. 4. et 5.

Digitized by Google

expertibus obducens; quorum pulchritudinem intus latentem si quis intueri possit, reperiet omnia mystica et divina et multo lumine Theologico repleta. Neque vero existimemus signa formarum apparentium sua tantum causa et ratione efficta esse, sed potius integumenta esse scientiæ arcanæ, et vulgo hominum occultæ, ut ea quæ sanctissima sunt, non sint profanis facilia ad inteligendum; sed tantum vere studiosis sanctitatis aperiantur, utpote expeditis ab omni puerili cogitatione in sacris Symbolis, et qui acie mentis et ingenii facultate ad contemplandum idonea, veritatem simplicem, et supra naturam Symbolorum collocatam, assequi possint. Cæterum hoc advertendum est, duplicem esse traditionem Theologorum, unam quidem arcanam et mysticam, alteram vero apertam et manifestiorem: illam quidem symbolicam, et ad mysteria pertinentem, hanc vero philosophicam ac demonstrantem; estque arcanum cum aperto connexum. Atque hoc quidem fidem facit, et adstringit veritatem eorum quæ dicuntur, illud vero efficit et in Deo, iis quæ non docentur, institutionibus firmat. Atqui nec in sanctissimis mysteriis sancti Magistri sive nostræ sive Moysaicæ disciplinæ a Symbolis Deo convenientibus, abstinuerunt; quin potius videmus Angelos omni sanctitate plenos, per ænigmata res divinas mystice promere, et Jesum in parabolis, de divinis loqui, ac deifica Sacramenta per typicum mensæ apparatum tradere. Par enim erat, ut non solum Sancta sanctorum servarentur vulgo intemerata, sed ut ipsa vita humana, quæ individua simul et dividua est, lucem

Theologia duplex scilicet mystica et philosophica.

Digitized by Google

divinæ cognitionis convenienter sibi caperet; et ea pars animæ quæ a patiendi necessitate libera est, simplicibus et intimis divinarum imaginum speciebus contemplandis destinarétur, illa vero quæ passionibus subiecta est, ut naturæ ejus convenit, curaretur simul, et in divinissimas res per typica Symbola, eis artificiose abducta protenderetur, ut cui istiusmodi integumenta cognata sint, quemadmodum declarant, etiam qui audita aperta Theologia sine involucris, effingunt in se typum quemdam, qui illos ad prædictæ Thæologiæ intelligentiam manuducat.

§. 2. *Symbola aliter atque aliter explicanda sunt.*

Quin et ipsius quoque mundi aspectabilis fabrica invisibilibus Dei obducta est, sicut Paulus et vera ratio testatur. Quamobrem etiam Theologi alia quidem civiliter legaliterque considerant, alia vero pure et intemerate; atque illa quidem humano medioque modo, hæc autem supramundiali ac perfecto. Atque interdum quidem ex apparentibus legibus, interdum vero ex occultis oraculis, prout subiectis rebus sacris mentibusque et animis congruit: omnis enim sermo, qui illis ubique propositus est, non exilem aliquam historiam, sed vivificam continet perfectionem. Quare etiam nos oportet, omissa populari de his opinione, ipsamet sacra signa, sacra, uti par est, ratione penetrare, neque eadem inhonorare, cum nativa sint et expressa rerum divinarum simulacra, nec non imagines perspicuæ arcanorum et supranaturalium spectaculorum. Etenim non solum suprasubstantialia, et intellectilia, et simpliciter divina lumina Symbolis figuratis variegantur, ut cum suprasubstantialis Deus ignis dicitur, et quæ intellectu Deut. 4.

Digitized by Google

Psal. 11. 8. percipiuntur Eloquia Dei ignea; sed præterea etiam divini ordines Angelorum, qui simul sunt intellectiles et intelligentes, variis formis ac multiplici specie, et igneis figuris depinguntur. Aliterque eandem imaginem ignis accipere oportet, cum de Deo dicitur, qui intelligentiam superat; aliter cum de providentiis ejus, quas intelligentia percipimus, aut de sermonibus; et aliter cum de Angelis. Atque illam quidem, imaginem ignis de Deo dictam, secundum causam accipere oportet; aliam secundum existentiam, aliam vero secundum participationem; et alia aliter, ut eorum contemplatio et constitutio scienter facta præscribit. Nec enim oportet fortuito ac temere miscere Symbola, sed potius explanare ea convenienter causis aut existentiis, aut potestatibus, aut ordinibus, aut dignitatibus, quæ omnia signis declarantur. Cæterum ne epistolæ modum excedamus, jam ad ipsam propositam a nobis quæstionem veniamus. Dicimus itaque, omnem escam vim habere perficiendi illos quos nutrit, dum imperfectum eorum et indigentiam replet, et infirmitatem curat, vitamque servat, et reflorescere facit ac renovat, et vitalem illis affectum donat, simpliciterque tristitiam et imperfectionem abigit, atque lætitiam perfectionemque conciliat.

Ignis quomodo de Deo et Angelis accipiendus.

Esca quid mystice significet.

§. 3. Quamobrem recte supraquam sapiens juxta ac benigna sapientia in Eloquiis divinis perhibetur craterem mysticum proponere, ac sacram ejus potionem propinare, prius tamen cibos solidos apponere, atque elata voce omnes ejus indigos benevole invitare. Duplicem ergo escam divina sapientia propo-

Digitized by Google

nit, scilicet unam solidam atque durabilem, aliam vero liquidam ac fusilem in cratere propinat, quæ beneficas ejus providentias designant. Crater igitur cum sit rotundus et apertus, Symbolum est generalis providentiæ, quæ principio fineque caret, atque omnia continet penetratque. Sed quoniam dum ad omnia procedit, in semetipsa quoque manet, immobili, a qua numquam excidit, identitate formata, crater etiam, constanter immotus persistebat. Dicitur autem sapientia sibi domum ædificare, in qua cibos solidos, et pocula, crateremque proponit, ut omnibus divina rite conferentibus perspicuum sit, eum, cujus est providentia, perfectam esse causam, ut sint et bene sint omnia, eumque ad universa pertingere, et in omnibus existere, atque omnia continere, rursusque eumdem, cum sit in se excellenter, nihil in ulla re ulla ex parte esse, sed secretum esse ab omnibus, cum in se ipso eodem æternoque modo sit, perstetque et maneat, atque semper idem sit, eodemque modo se habeat, nec ullo modo se ipse deserat, neque sedem suam immobilemque mansionem, et quasi larem relinquat, sed in ea omnia perfectaque providentiæ suæ munera perficiat, et procedat ad omnia, et in se maneat; et insistat semper ac moveatur; et neque insistat neque moveatur; sed ac si quis dicat, ut qui actiones suæ providentiæ in perseverantia, et perseverantia in providentia connaturaliter simul ac supra naturam habeat.

Quid crater mystice significet.

Verum quisnam solidus cibus, et quis liquidus est? hos enim benigna sapientia largiri simul et

§. 4.

Digitized by Google

providere prædicatur. Arbitror itaque, solidum illum cibum intellectilis ac perseverantis perfectionis et idemtitatis signum præ se ferre, quo spiritales isti sensus secundum constantem ac potissimam et singularem illam individuam scientiam divina participant, quos divinissimus quoque Paulus solidi vere cibi a sapientia accepti participes facit. Liquidum vero cibum significare doctrinam illam profusam, quæ dum per omnia vagatur, simul etiam per varia illa multipliciaque signa ad simplicem et constantem Dei cognitionem, eos quos nutrit, per accommodatam cujusque captui bonitatem manuducit. Hanc ob causam Eloquia illa divina spiritaliaque, et rori, et aquæ, et lacti, et vino ac melli merito assimilantur, quia vivificandi ac fecundandi ut in aqua, et ad incrementum perducendi ut in lacte, et recreandi ut in vino, purgandique simul ac conservandi ut in melle vim habent: ista nimirum divina sapientia donat suis asseclis, dum redundantium et indeficientium deliciarum suarum affluentiam eis præbet, et adhuc supereffluit. Istud nempe veraciter est epulari, et idcirco ut vivificans simul et parvulos nutriens, renovansque ac perficiens celebratur.

§. 5. *Quid ebrietas Dei mystice significet.*

Nempe juxta hanc sacram convivii expositionem etiam ipsemet bonorum omnium auctor Deus inebriari dicitur, propter plenissimam, et, quæ omnem intelligentiam superat, divinæ epulationis, vel, magis proprie loquendo, bonæ habitudinis Dei perfectissimam et ineffabilem immensitatem. Sicut enim ea quæ apud nos est ebrietas, in deteriorem partem capitur, estque immodica repletio, propter quam

Digitized by Google

mente sensuque destituimur; sic in Deo si meliorem in partem capiatur ebrietas, nihil aliud est intelligenda, quam plenissima bonorum omnium immensitas, quæ dum emanat, in ipso secundum causam præexistit. Quin et ipsum sensus excessum, qui ebrietatem comitatur, accipere oportet pro ista Dei præcellentia quæ exuperat omnem sensum, per quam ab intelligendi ratione secernitur, cum sit supra id quod intelligit et intelligitur, imo supra id quod est. Et cum simpliciter Deus bonis omnibus quæ sunt, inebriatus esse dicitur, omniaque excedere, utpote qui eis omnibus, totius immensitatis suæ præcellentia supraquam plenus sit, et extra omnia, et supra omnia sursum habitet: hisce loquendi rationibus inducti, sanctorum etiam in regno Dei convivia, eodem modo accipiemus. Transiens enim, inquit, ipse Rex, faciet eos discumbere, et ministrabit eis; quæ utique declarant communem quamdam et concordem Sanctorum in divinis bonis societatem, et Ecclesiam primogenitorum qui conscripti sunt in cœlis, et spiritus justorum bonis omnibus esse consummatos, bonorumque omnium plenos. Porro discubitum illum putamus significare requiem ex multis laboribus, et vitam inviolatam, conversationemque divinam in lumine ac regione vivorum, omni sacra jucunditate plenam, et omnigenorum beatorumque donorum abundantem elargitionem, qua omni gaudio replentur, Jesu eos exhilarante, et in mensa collocante, et ipsis ministrante, et æternam quietem largiente, ac perfecta bona tribuente atque infundente.

Luc. 12. 37.

Quid discubitus in cœlis.

Digitized by Google

§. 6. *Quid Dei somnus et evigilatio.*

Postulabis utique, probe scio, explicari tibi celebrem illum Dei somnum et evigilationem; cumque dixerimus, divinum quidem somnum esse id quod in Deo arcanum est et incommunicabile rebus iis quæ providentia gubernantur; evigilationem vero esse ipsius providentiæ attentionem circa eos qui disciplinæ vel salutis indigi sunt, illico ad alia signa Theologica transibis. Itaque supervacaneum rati eadem iisdem de rebus repetendo alia videri dicere, simulque nobis conscii, quod vobis, uti æquum erat, morem gessimus, epistolæ quidem hic finem facimus, cum plura putem nos persolvisse, quam literis tuis deberemus. Symbolicam porro Theologiam nostram totam mittimus, in qua una cum domo sapientiæ columnas septem explicatas reperies, et solidum ejus cibum, in hostias panesque divisum, præterea, quæ sit vini mixtio, quæ item crapula ex Dei ebrietate proveniens, et ea ipsa etiam quæ modo retulimus, ibidem fusius invenies pertractata. Est enim, ut opinor, optima, Symbolicarum inventrix Theologiarum, atque sacris sanctarum Scripturarum traditionibus ac veritatibus conveniens.

EPISTOLA X.

Joanni Theologo, Apostolo et Evangelistæ, in Patmo insula exulanti.

SYNOPSIS.

Beato Joanni Apostolo et Evangelistæ Christi discipulo dilecto, in Patmo insula exulanti, prophetice prædixit celerem

Digitized by Google

ab exilio liberationem, et reditum in Asiam, ubi exemplo suo plurimis profuturus sit.

Saluto te sanctam animam, o dilecte, quoniam id mihi præ cæteris teeum licet familiarius. Salve, o vere dilecte, et perquam dilecte illi, qui vere amandus, et expetendus, et diligendus est. Quid mirum si Christus vera loquitur, et iniqui discipulos e civitatibus expellunt, sibi ipsi quæ merentur tribuentes, dum a viris sanctis scelesti se segregant atque recedunt. Revera quæ videntur manifestæ sunt imagines eorum quæ non videntur: neque enim in sæculis venturis auctor erit Deus justarum a se separationum, sed illi ipsi qui se a Deo prorsus sequestrarunt; sicut e contra jam alios etiam cum Deo hic conjunctos adspicimus, quod amando veritatem, ab omni rerum materialium affectu procul recedant, et a malis omnibus liberati, divino prorsus amore pacem omnium bonorum et sanctitatem consectentur, et in præsenti vita futuræ vitæ primitias prælibent, inter homines Angelico more conversantes, cum omni tranquillitate animi, ac Dei benedictione ac bonitate cæterisque donis. Equidem haud ita demens sum, ut arbitrer vos quidquam pati: imo vero passiones corporis hac ex parte tantum sentire credo, ut easdem sensu tenus percipiatis. Cæterum eos qui vos injuriis afficiunt, et perperam se solem Evangelii exterminare posse putant, jure merito reprehendens, opto ut abstineant ab iis quæ contra semetipsos delinquunt, et ad bonum convertantur; et ad se vos alliciendo, luminis participes existant. Nos autem e

S. Joannes discipulus dilectus.

Mali oderunt probos.

Digitized by Google

diverso nihil lucidissimo Joannis radio privabit; in præsentiarum quidem fruituros memoria et renovatione verissimæ Theologiæ tuæ; paulo vero post (ausim dicere, licet confidentius) vobis ipsis conjungendos. Utique sum fide dignus, quando prægnita tibi a Deo, et disco e refero, te nimirum ex Patmi ergastulo liberatum iri, et in Asiam reversurum, ubi præbebis exempla benignum Deum imitandi, eaque posteris relinques.

FINIS.

4991 038

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

3 2044 052 932 373

The borrower must return this item on or before the last date stamped below. If another user places a recall for this item, the borrower will be notified of the need for an earlier return.

Non-receipt of overdue notices does ***not*** *exempt the borrower from overdue fines.*

Andover-Harvard Theological Library
Cambridge, MA 02138 617-495-5788

NOV 1 1 2003

Please handle with care.
Thank you for helping to preserve library collections at Harvard.



Digitized by Google

Digitized by Google